

A  
D  
Tot.





Via Salutis  
in  
Amore & Timore  
Domini funda-  
ta.

Oderunt peccare boni, Virtutis Amore  
Oderunt peccare mali formidine poena.

Tob. Sadler sculp.





VIA SALUTIS  
*Fundata in*  
**TIMORE**  
*ET*  
**AMORE**  
**DOMINI:**

Exhibens artem bene,  
beatéque vivendi, paucis  
præceptis circumscriptam  
*Dicata pro strenâ*

**DD. Sodalibus sub**  
**Titulo B. MARLÆ Vir-**  
**ginis in Cœlum Assumptæ,**  
ex Quatuor Academicis Facultatibus  
in Cæsareo & Academico Societatis  
Jesu Collegio Viennæ Austriæ jam  
olim, & nunc Congregatis  
*Anno M. DC. LXXV.*

Declina à malo, & fac bonum,  
*Pf. 36. v. 27.*

---

Viennæ, Typis Joannis Jacobi Kùrner.

1897/94 S. 1046

KÖN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.





*Illustrissimo Domino*  
COMITI  
NICOLAO  
ESTERHASI  
De Galantha, Per-  
petuo de Frackno &c.  
Rectori suo Marjano.

**N**obilitati Generis  
conjuncta Pietas  
illustre, ultra quod  
amplius cogitari non potest,  
fit ornamentum Humanita-  
tis. Illa super vulgus extol-  
)? ( 3 lit;

lit; Ista DEO applicat. U-  
triusq; clarissima documenta  
dedit semper Prosapia tua,  
sic nobilissima ut piissima Il-  
lustrissime Domine Co-  
mes. De Altera, cum anno  
vertente Academicas laureas  
ex merito Ingenii capefferes,  
tibi fuimus gratulati; de hac,  
quando pluribus, quamvis  
ingens invitaret series, per  
angustias dedicatorie non  
possumus, libare cursim pau-  
ca placuit. Non divertimus  
ad Majores, qui cum san-  
ctissimis Regibus Stephano,  
& Ladislao Hungariam  
DEO

DEO, ac Magnæ Domi-  
næ asseruerunt. Vicinio-  
ris ad nostra tempora Ni-  
colai Hungariæ Palatini,  
Aui Tui, recordatio Pietatis  
cum Nobilitate illustrem ne-  
xum locupletissimè testatur.  
Hanc si aliquando lingue si-  
leant, lapides loquentur, è  
quibus regia cum magnifi-  
centia, DEO, ac Deiparæ  
Tyrnauviense templum, con-  
ditore illo assurrexit. Pro-  
pior ab hoc ad nos primum  
pertinet Daniëlis comme-  
moratio. Germanus is  
Frater Nicolai adverterat.

)?(4 ali-

aliquando Joanni Filio à  
nostra Sodalitate literas ad  
Festum titolare invitatorias,  
cum defunctorum, ut solet,  
catalogo, se præterito esse  
transmissas: Piâ illicò emu-  
latione succensus, ac veritus  
Nomen suum in Albo Mari-  
ano fortè jam oblitteratum,  
calamum summi & Præsidi  
Sodalitatis, ea, quæ ex A-  
ctis Marianis ad Annum  
1647. legimus, ad verbum  
perscribit: Rogo etiam  
atq; etiam vestram Pa-  
ternitatem, & medio  
Paternitatis vestræ So-  
da-

dalitatem universionam,  
ut sicuti haectenus pro-  
fessus fui semper, &  
numeravi me inter Do-  
minos Sodales illius So-  
dalitatis, ita habeant  
& agnoscant me pro  
minimo ac obedientis-  
simo suo Sodali. Volo  
ego quoque ea omnia  
& singula, ad quæ So-  
dales ejusdem sunt ob-  
ligati, gratiâ Dei, &  
adjutoriô Deiparæ Af-  
sumptæ fideliter, ac  
constanter præstare.  
Quam gratiam almæ  
)? (5 So-

Sodalitatis modis omnibus recolere contendam. Progenitoris verò Tui Illustris Pietas Majorum in vestigia sequax, in augusta Immaculatè Conceptæ Virgini Castri ferrei, condita æde, à profusis sumptibus & elegantia omnino admiranda, præstitit a vite virtutis suppar monimentum, atq; exhibet tesseram continuatæ in Profapia de Deo & cœlitibus benè semper merendi Voluntatis. Hanc derivatam in Te Illustrissime Domine Comes, & felici equidem traduce

ce

firmatam loquuntur suprema  
Præfectura Mariane, quas  
in cœtibus Sodalitiorum aliis,  
nunc verò etiam in Illustris-  
simo & Academico nostro  
populo veterana tua, in ado-  
lescentia etiamnum vernante  
Pietas sibi evicit. Gratula-  
mur Excellentissima & Illu-  
strissima Prosapie, tam exi-  
mia ad immortalitatem No-  
minis ornamenta, derivata  
à Pietate, quam cætera deco-  
ra consequuntur. Et Te Il-  
lustrissime Domine Comes  
Eidē ac Nobis quàm feliciter  
ac beatè semper servatum op-  
tamus

*mus, sic unà omnes viam  
salutis Pietate duce in Timore  
et Amore Domini prospere  
decursum.*

**Illustrissimo Domi-  
no Comiti Recto-  
ri suo Mariano.**

*Addictissima*

**Sodalitas B. M.  
Virginis in coelum  
Assumptæ.**





# ARTIS RATIO ET DIVISIO.

**S**i non ignorem, Chare Soda-  
lis, plurima meritò à doctis piisque  
Auctoribus exigì, ad vitam perfectè  
& ex virtute traducendam: quia  
tamen præceptorum multitudo sæpe solet con-  
fundere, subinde etiam abstertere discendi cupi-  
dos; satius me facturum existimavi, si totam il-  
lam Artem ad tria potissimum capita revoca-  
rem: ad puritatem Conscientiæ, purita-  
tem Intentionis, & Conformitatem vo-  
luntatis nostræ cum divinâ; per quæ cum  
artissime fini nostro, id est, DEO jungamur,  
& in ea conjunctione omnes asserant consistere  
perfectionem hominis Christiani, non video quid  
amplius possit desiderari.

Nam imprimis per puritatem Conscien-  
tiæ removemus impedimenta omnia tanto fini  
contraria; iniquitates scilicet, quas Isaias dicit  
parietum instar dividere inter nos & DEUM  
nostrum, & avertere, ne abeamus post tergum  
DEI nostri: per puritatem verò Intentionis  
jam ad DEUM conversi, dum illi placere  
contendimus, utimur insinuatione quadam, &  
quodam veluti usu familiaritatis ambimus con-  
junctionem; quam denique perficit Conformi-  
tas

tas illa humanæ voluntatis cum divinâ. Verè, inquit mellifluus Doctor, spiritualis sanctique connubii contractus est ille: Parùm dixi, contractus: complexus est: Complexus planè; ubi idem velle & nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Per illam igitur Conformitatem anima nostra fit quodammodo Sponsa sui Conditoris, quæ puritate Intentionis exhibuit reverentiam Filix, & puritate Conscientiæ demonstravit Ancillæ fidelitatem.

Præterea tribus istis capitibus planissimè tenentur tres viæ, Purgativa, Illuminativa, Unificativa; quibus passim asserunt nitendum esse ad perfectionem. Nam ut de prima & tertia nihil dicam, quas satis patet consistere in puritate Conscientiæ, & Conformitate illa voluntatis humanæ cum divina; Illuminativa maxime requirit perfectam Christi Domini imitationem: quid verò totâ vitâ suâ Christus Dominus spectavit aliud, quàm gloriam DEI Patris? unde ille voces: Non quæro gloriam meam; & Gloria mea nihil est.

Denique hac in Arte æmulati sumus partitionem boni, quod, teste Philosopho, omnes appetunt; ut illius specie captus animus tantò ardentius virtutem (aliàs horridam vulgò asperamq;) edamaret, & sub honesto puritatem Conscientiæ, sub utili puritatem Intentionis, sub jucundo Conformitatem illam complecteretur. Quid enim bone-

## SALUTIS.

3

*honestius, quàm habere Conscientiam non tantum ab omni peccati macula, sed etiam nube passionum immunem? quid utilius, quàm puritate Intentionis, continua gratiarum gloriæque incrementa minimis etiam actionibus promereri? quid denique jucundius, quam inter tot animæ, corporis, fortunarumque incommoda, constantem & infractum, in divinæ providentiæ sinu, velut asylo quodam securissimo, conquiescere? ut meritò videatur ille, qui in illis exercuerit se seriò, etiam in hac misera vita bonorum omnium genere abundare, & prægustare delicias æternæ illius beatitudinis, ad quam tam facili & securo itinere contendit. Hæc itaque Artis ratio est; nunc ad Praxin progrediamur.*

### PRÆCEPTUM I.

#### *Praxis Puritatis Conscientiæ.*

**P**URITAS illa consistit in duobus.  
1. Ut malè patrata rectè expientur. 2. Ut expianda, quantum fieri potest, non patrentur.

Primum fit *Contritione & Confessione.*

*Contritionis Conditiones, sunt, ut sit dolor & detestatio peccati contra summum bonum, & super omnia ama-*

bilem Dominum commissi, cum firmo proposito illud non amplius committendi, & prima data occasione per Confessionem expiandi. Atque ad illud remedium confugiendum est, quamprimum aliquis advertit se peccatum commisisse: tum, ne callum obducamus in scelere; tum, ne crescat Sathanæ vis & dominatus in animam; tum maxime, ne casu aliquo Mors nos adoriatur imparatos.

*Confessio autem his præceptis constat.*  
 1. ut sit *accurata*, præmisso diligenti examine Conscientiæ. 2. *dolens*, per Contritionem, aut saltem Attritionem. 3. *clara*, sine ambagibus, palliationibus, excusationibus peccatorum, omissis narrationibus inutilibus. 4. *integra*, adjecto numero peccatorum & circumstantiis necessariis, quæ aut speciem mutant, aut valde aggravant. 5. *accelerata*, quia sicut facilius curantur vulnera recentia; sic animus statim à peccato poenitens. 6. *satisfactoria*, adhibitis Indulgentiis ad redimendas

das

SALUTIS.

5  
das pœnas; quarum illa maximè metuenda est, ne propter peccatum non rite expiatum, DEUS iterum peccare permittat.

Secundum obtinent hæc Media.

I. *Manè brevis, sed seria reflexio rerum omnium per diem agendarum;* prævidendo peccandi occasiones, & fortiter decernendo, isto die non peccare, etsi machinis omnibus, Dæmon, Caro, Mundus conspirent. Et quis est, qui etiam in gravissimis tentationibus, & occasionibus apertissimis, uno se saltè die continere non possit? atqui tota vita nostra dies unicus est: uti hodiernus, ita crastinus, ita tertius dies sunt. Si hodierno te continere potuisti, quidni èt crastino? quidni èt tertio? ut malè prorsus sapere videantur, qui difficultates suas & tentationes in mensibus, in annis numerant; & quia tam longam victoriam desperant, primo statim die turpiter succumbunt. Vivant hodie, hodie vincant, cras iterum, si vixerint, victuri:

ita diei unius vita bona, menses & annos omnes, & totam vitam bonam efficiet. Atque istud non solum in vitiorum fuga; sed in virtutum etiam exercitatione plurimum valet, ut discernamus isto saltem die nos fore pios, humiles, injuriarum patientes, pauperibus misericordes, &c. maxime, si aliis atque aliis motivis quotidie spiritus resumamus. Hodie in honorem Dei nostri Creatoris, hodie in memoriam benignissimi Redemptoris, hodie in laudem Virginis Matris, Custodis Angeli, aut aliorum Sanctorum, quibus continget nos peculiariter esse devotos: item ad malum istud, vel istud a nobis, vel ab aliis avertendum; ad virtutem vel gratiam hanc, vel illam nobis, aut aliis impetrandam; ut in tanta malorum segete, vel bonorum indigentia, novae rationes deesse non possint. Molestas vero illas Diaboli suggestiones: *Ergo numquam sensualitati tuae indulgebis? ergo haec semper patiēre? similiāque generoso contem-*  

ptu

ptu retundamus: *Non indulgebo hodie,  
hodie patiar.*

II. *Assidua meditatio novissimorum*,  
mortis incertæ, judicii severissimi, &  
pœnarum æternarum: quæ singula si  
rite perpendantur, facile nos à pecca-  
tis cohibebunt. Si enim peccandi cu-  
pitudine accenso Lictor aliquis denun-  
tiaret, jam jam moriendum esse, aut  
adeundum illico tribunal, ubi de ca-  
pite ferretur irrevocabilis sententia,  
sine dubio extingueretur omnis ille  
ardor libidinis; neque jam de scelere,  
sed de vita, de salute cogitaret. Atqui  
moriendum nobis est, sistendi sumus  
Judici terribili, & fortasse hoc ipso  
momento, quo de scelere delibera-  
mus: vellemus istud fecisse morituri?  
Pœnæ nos expectant æternum luen-  
dæ: has unius momento voluptatulæ  
mercabimur? At non moriar hoc mo-  
mento, inquis. Fortassis, inquam, mo-  
riere: plures hac spe delusos hausit In-  
fernus, & periisse sic semel, æternum  
est. Et quid si hoc peccato tandem,

ut Scripturæ loquuntur, *impleamus mensuram nostram*, id est, sit fortasse peccatum ultimum, post quod DEUS, qui hactenus cætera dissimulavit, staturit illico nos punire? aut saltèm denegare pœnitentiæ locum? Qui enim pœnitentibus promisit veniam, non promisit peccantibus pœnitentiam. Insanam ergò peccandi temeritatem saluberrimo tam certorum periculorum metu frænemus.

III. *Memoria præsentia DEI*, qui non tantùm est Spectator nostrarum actionum, sed etiam Judex & Vindex severissimus. Nec hîc opus est imaginatione; sed sufficit viva fides, quâ credimus DEUM sic esse ubique, ut nullus angulus, nullæ latebræ tam sint abstrusæ, quas non immensitate & omnipotentia sua intimè præsens impleat; juxta illud Davidis: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illîc es: si descendero in infernum, ades; & illud Apostoli: In ipso enim vivimus, movemur,*

☩



*& sumus.* Qua fronte igitur, coram & in oculis tantæ Majestatis, audebimus ea perpetrare, quæ coram hominibus non auderemus? Aliquam prætereà vim addet Angelus Tutelaris, quem DEUS perpetuo nobis voluit assistere, veluti domesticum Pædagogum; ut ejus moti reverentiâ, pravas animi motiones compescamus.

IV. *Fuga occasionum peccandi.* Qui enim amat periculum, peribit in illo; & qui etiam in sicco parùm fortiter stamus, quantum possumus, recedamus à lubrico. Inter has autem numero, *primò*, pravorum & corruptorum hominum societatem. Nam à conversantibus sumuntur mores; & ut quædam in contactos corporis vitia transfiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Diligenter ergò attendamus imprimis, cum quo hominum genere ineamus familiarem consuetudinem; deinde, ne unquam cum suspecta persona versemur sine arbitris: tam, ut consulamus consci-

entiaë, quàm famæ nostræ ; denique, si civilitas aliqua , aut necessitas nos cogat ad invisendas eas personas, quarum aut aspectus, aut congressus familiarior emollire posset in vitium animos nostros, fiat id præmissò forti decreto, DEUM non offendendi. S. *Borgia* adhuc Dux Gandiæ in similibus occasionibus cilicio se præmuniebat. *Secundò*, recenseo inter occasiones nimiam sensuum libertatem, maximè oculorum : fenestræ enim illi sunt, per quas Mors ingreditur, teste Prophetâ ; & qui quod libet, videt, sæpè, quod non licet, appetit. Miseris istiusmodi casibus plenæ sunt historiae. Neque nobis blandiamur, si liberæ conversationi, & oculorum curiositati indulgentes nullis videamur pravis motibus agitari. Etiam motus nullus sentitur arce cuniculis suffosâ, suppositoque pulvere: sed si vel unica accedat scintilla, quanto fragore arx tota à fundamentis evertetur! Ita si Dæmon admoveat fomitem illum

lum

lum concupiscentiæ, qui in nobis numquam prorsus extinguitur, actum est, periit Castitas. Imò stratagema Dæmonis est, principio non commovere; ut illâ animi quiete decepti, paulatim ausu temerario nos in majora pericula ingeramur.

V. *Fuga otii*: ad quod proderit habere totius diei actiones sic ordinatas, ut sine gravi necessitate ordinem illum non perturbemus. *Laborantem*, agebant olim rerum spiritualium Magistri, *Dæmon unicus, mille tentant otiosum*. Juvabit etiam habere in promptu aut genus aliquod exercitii, aut studii, quo vehementer delectemur, & absorbeamur quodammodo; ut in tentatione difficili totum animum & potentias omnes eidem applicemus, à pessimis suggestionibus abstractas; aut immergamus nos molestæ alicui cogitationi de privatis & domesticis difficultatibus. Illa enim etsi animum cruciat, tamen citra periculum occupat.

VI. *Lectio librorum piorum*, quos Confessarius approbaverit, aut præscripserit; eaque 1. *attenta*, rejectis curis distrahentibus. 2. *devota*, interpositis subinde piis ad DEUM affectibus. 3. *practica*, per applicationem ad mores & usus nostros; ut alii legant in vita nostra, quicquid nos legimus in libris.

VII. *Quotidiana Sacri auditio*, cum reverentiâ & devotâ ferventique attentione: cum enim Sacrificium sit propitiatorium, sive satisfactorium, exinguit peccatorum reliquias, sive in hac vita, sive in Purgatorio lueudas: & cum idem sit impetratorium, nullo facilius exercitio, quicquid volumus, obtinebimus à DEO. Præmittitur autem optimè cæteris actionibus: quia jure suo primitias diei sibi DEUS vendicat; &, quia quærentibus primum regnum DEI, cætera adjiciuntur: faciliiori nimirum & felicio-ri successu comparanda.

VIII. *Examen quotidianum, generale*  
&

& particulare. *Generalis partes* sunt, gratiarum actio; petitiō luminis; discussio cogitationum, verborum, & operum contra DEUM, proximum, & seipsum, procedendo per diei & actionum ordinem, ut nihil nos fugiat, quo DEUM offenderimus; deinde dolor & detestatio, cum firmo proposito emendationis; tandem deprecatio. *Examen particulare* constat iisdem partibus; nisi quod solummodo versetur circa discussionem, aut vitii particularis, cuius expunctioni laboramus; aut virtutis alicujus, quam nobis familiarem conamur reddere; ut diligenter non tantum advertamus, sed etiam scripto annotemus, in vitio, numerum errorum; in virtute, actuum: ut tandem factâ collatione unius diei cum altera, agnoscatur profectus aut defectus. Circa vitia autem illa primò instituetur, in quæ & frequentius labimur, & majore nostro periculo, & scandalo proximi. Porro vix ullum hoc utroque Examine medium est effici.

ficacius ad purgandam animam : per Generale enim agnoscuntur vitia, eorumque radices, quæ Particularis studio paulatim evellantur.

IX. Suadetur etiam quotidie *brevi aliqua Meditatio* ; quod per illam acquiratur gustus rerum spiritualium, & Apostolus asserat : *Spiritu ambulans desideria carnis non perficere.* Est autem, ut brevissime dicamus, *Meditatio*, consideratio affectuosa & practica materiae determinatae & bene preparatae, ad detestationem peccatorum, virtutum acquisitionem, & DEI amorem ordinata. Dixi 1. *affectuosa* : ut illam distinguam à studio, quod solum spectat illustrationem intellectus ; *Meditatio* verò, intellectus illustratione, ultra nititur ad excitandam & inflammandam voluntatem bonis affectibus. Dixi 2. *practica* : nimirum ut ad mores & usus nostros applicetur. Neque id tantum in genere : v.g. ero patiens ; sed in particulari, hanc injuriam, hunc contemptum  
pa.

patiar. 3. *materiae determinatae & preparatae*; ne per incertas cogitationes vagetur animus. Determinari autem potest secundum seriem eorum, qui Meditationes conscripsere: praeparabitur verò vesperi ante somnum, digereturque in partes, seu puncta; praeviendo etiam, ad quos potissimum affectus conniti quis velit. At *praeparatio proxima* vocatur, quâ meditaturus se primò collocat in praesentia DEI sui; deinde factâ brevi reflexione punctorum meditandorum, & imaginatione Mysterii propositi, lumen à DEO postulat, & gratiam, ut cum fructu illud opus peragatur.

X. *Frequens usus Sacramentorum Pœnitentiae & Eucharistiae*; ut ex utroque, tamquam è vasis pretiosissimis, hauriantur medicamenta, animæ necessitatibus accommodata: praesertim verò robur ad resistendum Diabolo & conatibus ejus. Nam pœnitentia jacentem in pedes erigit, & panis ille cælestis confirmat cor hominis. *Frequens,*  
in-

inquam. Velenim peccavimus, vel non. Si non peccavimus; jam digni sumus qui veste nuptiali induti accumbamus epulo divinissimo. Si peccavimus; indigemus Confessione, ne diutius serpentem foveamus in sinu: quamquam ad incrementum gratiæ & donorum supernaturalium, etiam utilissimum sit venialia, in quæ quotidie labimur, peccata confiteri. Et cur in cute curanda tantoperè simus intenti, ut ne minimam quidem in manibus, aut vultu maculam tolereamus; ut continuis alimentis reficiamus corporis vires; & patiamur interim nobilissimam hominis portionem, animam scilicet nostram sordibus execrandis infectam sordescere adhuc, nec nisi rarissimè cibo tam necessario refocillari? At ne frequentior usus abusum inducât, faciâtque ut remissè & sine debito fervore accedamus ad tanta Mysteria; continuo aliis motivis urgeamur, ut in fine primi Medii suggerebamus.



XI. *Cultus Beatissimæ Virginis MARIÆ*, quam Ecclesia & sancti Patres appellant *Advocatam peccatorum*. Tu es, inquit *S. Augustinus*, *Spes unica peccatorum*; per te speramus *veniam delictorum*; & *S. Bernardus*: *Si criminum immanitate turbatus, conscientia scditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abyssu*; cogita *MARIAM, MARIAM invoca*. Et singulare præsidium in tuenda Castitate, plures se testantur expertos, qui peculiari affectu, *Deiparæ Virginitatem & immaculatam Conceptionem coluerunt*. *Joannes Berchmannus*, in *Societate JESU* juvenis, ne in somnis quidem pravos ullos corporis motus sensit ab eo tempore, quo vesperi per salutationem Angelicam Virgini Immaculatè Conceptæ commendavit integritatem suam. *Bernardinus verò Realinus* ab ipsa Virgine edoctus est, ut adversus libidinis impetum hoc se clypeo muniret: *Per sanctissimam Virginitatem tuam, ô pu-*

*purissima Virgo MARIA, emunda carnem meam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* In reliquorum cultu Sanctorum, maximè Tutelaris Angeli, magna quoque fiducia collocanda est.

XII. Eligatur denique *vir prudens & pius*, cui non tantum peccata in Confessione aperiantur, sed etiam affectiones, tentationes, pericula; ut is tanto securius nos instruat, & ad eam perfectionem, quam optamus, deducat; cuius etiam consiliis seriò & humiliter obtemperemus necesse est.

### O R A T I O.

**C**Lementissime DEUS, ego miser peccator & immundus accedo ad thronum gratiæ & misericordiæ tuæ: non in alio fiduciam habens quàm in illâ; ut per illam in Sanguine Filii tui dilecti laves omnes immunditias meas; & si non mereor, quatenus ego defeci; miserere quatenus tu me fecisti: operi manuum tuarum porrige dexteram. Nonne sicut lutum fecisti me?  
Quid

Quid à luto aliud, ô D E U S meus, expectare poteras quàm fordes? Deinde, nonne in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea? Quid mirum, si ita factus, ita conceptus, propriâ tandem malitiâ vehementer auxerim immunditiam meam? Heu! fateor, ut sus lota in volutabro luti, sic sordibus suis delectabatur anima mea, & fugiebat à te, & derelinquebat te fontem aquæ vivæ. Tu quidem, ô bonitas infinita, maculam originalem eluisti lavacro Baptismatis; & paratus fuisti, quandocunque confiterer adversum me injustitiam meam actualem, remittere impietatem peccatorum meorum, & mundare me; sed an id fecerim corde satis contrito & humiliato, tu solus scis, qui scrutaris corda & renes. Debuerat esse ut mare contritio mea, ut diluerentur omnes immunditiæ meæ; ut ubi abundaverat delictum, ibi abundaret et lacryma: sed cor meum luto mollius ad nequitiam, aruit tamquam

quam testa ad poenitentiam; ut merito verear, non satis esse mundatum, nisi tu, DEUS, miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum deleas iniquitatem meam. Præterea, etsi sordes illas elueris balneo pretiosissimi sanguinis Filii tui, nondum tamen satis purgatus sum; quamdiu adhuc ignorantias meas forte meministi: quamdiu ab occultis meis non mundas me, Domine, & ab alienis non parcis servo tuo: quamdiu adhuc fœdatur anima mea imaginibus & speciebus execrabilibus antiquorum peccatorum meorum, & novorum seminibus: quamdiu supersunt habitus & consuetudines pravæ, quæ velut nubes densissimæ comprehendunt me, & impediunt, ne videam te bonum meum: quamdiu viget tanta in intentionibus meis tortuositas, in affectibus carnalitas, tanta curiositas in sensibus levitas in sermonibus, vanitas in actibus, tanta rerum

cæ-

cælestium incuria, terrenarum sollicitudo, æternarum contemptus, humanarum respectus: nisi amplius, ô Domine, laveris me ab iniquitate mea, & cor mundum, non dico innovaveris in visceribus meis; (numquam enim satis mundum fuit in conspectu tuo) sed creaveris potenti virtute tua, qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine. Purifica, ô fons & amator puritatis, per dilecti Filii tui Sanguinem, per infusionem Spiritûs sancti, cor & corpus meum, sensus, sermones & actus meos; ut nihil in me sit, quod æternæ pulchritudini tuæ displiceat, immensam bonitatem & amabilitatem tuam offendat. Malo millies & millies mori, quàm iterum peccando fœdari.

## JACULATORIÆ.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Ne

Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris.

Ab occultis munda me, Domine, & ab alienis parce seruo tuo.

Delicta juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris, Domine.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis; ut non confundar.

Juravi & statui custodire judicia justitiae tuae.

Ne permittas me, Domine JESU, per peccatum separari à te.

Ne finas, ô bone JESU, & tu beatissima Virgo MARIA, ut hoc scelere me obstringam.

Domine, vim patior; responde pro me.

PRÆ-

## PRÆCEPTUM II.

*Praxis pura intentionis.*

**P**Riusquam ad praxin veniamus, erit operæ pretium distinguere vitiosas intentiones à bonis, bonas à puris, lutum scilicet à scoria, scoriam ab auro; ut tanto securius sit nobis iter, si non tantum sciamus, quo tendendum sit, sed etiam quos declinare errores oporteat.

Imprimis *Intentio vitiosa* est eorum, qui actionibus suis non aliò collimant, quàm ut videantur ab hominibus, illis placeant, sibi complacent; qui vitia cavent, ne notentur infamiâ, ne damnum aliquod in re familiari patiantur: qui virtutes exercent, ne cessisse sui similibus videantur; ut ad opes, ad honores, ad magnam sui apud alios existimationem, istis quasi gradibus ascendant. Quales meritò *David* vocat *filios hominum gravi corde, & diligentes vanitatem & mendacium;*  
 ut

ut qui depressis in terram animis tantum spectent humana & falsa.

Deinde, *bona* quidem *intentione* feruntur, qui divinæ vindictæ metu à vitiis abstinent; qui spe gloriæ cœlestis se virtutibus exercent, ut agebat ille: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti;* & alter: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem;* multum tamen absunt ab ea puritate, ad quam niti debemus, cum se & bonum suum magis, quàm Deum ejusve gloriam spectant. Tametsi ut ferocibus adhuc equis frænum & calcaria rectè adhibentur; ita nondum subactus animus tamdiu hisce stimulis premendus sit, donec promptum se sentiat ad obsequia Dei, propter Deum. Istitis adnumerari possunt, qui sive in vitiorum fuga, sive in virtutum exercitatione potissimum intendunt conscientiae tranquillitatem, & nescio quod solatium internun, quod à rectè factis oriri solet.

Ac



At *Intentio*; quæ *pura* est, sic tendit in Deum, ut ab illa nihil omnino quaeratur, quàm Deus ipse, ejusque divinæ voluntatis beneplacitum; ut placeat tantæ Majestati; ut ejus honor augeatur. Nihil de mercede cogitat; quia maximam credit esse mercedem, placere Deo: nec tamen illam amittit, sed auget, quando non spe mercedis, sed studio placendi operatur. His positis veniamus ad *Praxin*.

I. In *Communione*, cum Deum nostrum præsentem complectimur, consecremus illi, quicquid sumus, aut possumus, animam, corpus, fortunas, officiorum dignitatem; protestando, velle nos omnia impendere ad majorem ipsius unius gloriam & honorem, detestando & abnegando, quicquid humani, quicquid proprii insinuaret se, quod ad illius obsequium & beneplacitum dirigi non posset. Et quid magnum facimus, si omnia impendimus ei, à quo omnia accepimus, & qui totum se tam misericorditer in *Eucharistia* nobis impendit? B II,

II. Quotidie manè, postquam prævidimus res omnes agendas, cogitemus ad hoc vitam nobis divinitus concessam, ut eo saltem die illam Dei obsequiis & gloriæ semel serio impendamus, quam toties hæctenus & tam studiosè consecravimus Mundo, Carni, & Dæmoni. Offeramus ergò omnia, ut supra.

III. Idem faciamus per diem ante nobiliores & majoris momenti actiones: maximè in aditu negotii alicujus utilis vel gloriosi; ne hac vel utilitate vel gloria abrepti, à scopo nobis proposito aberremus. Neque curandum est, etsi species illa gloriæ vel utilitatis sæpius sese ingerat; repellatur his S. Bernardi verbis: *Nec propter te cæpi, nec propter te desinam*: Deo meo laboro, illi sit gloria & laus.

IV. Inter agendum subinde Deum præsentem & intentum operi nostro tenera quadam affectione alloquamur: *Fierine potest, ô immensa bonitas, ut ego re tantilla divinæ tuæ placeam Ma-*  
*gesta-*

jestati? Quis ego sum, & quod opus manuum mearum, ut eo tu, Deus meus, deleteris? Utinam millies & millies perfectius tibi deservirem! Hæc similiæque verba in officio nostro nos non tantum continebunt, sed etiam inflammabunt, ad perfectius & purius operandum; ne quid negligentia nostrâ defuit, quod tantæ placeat Majestati.

V. Et quia sæpe aliquid vanæ complacentiæ nobis surrepit ex felici successu actionum nostrarum; intenti sumus, ut statim substernamus divinæ gloriæ, quicquid humanæ laudis ex rectè factis posset nobis accedere: & sicut nihil habemus, quod non accepimus; ita nihil sit, quod non reddamus ei, à quo accepimus, id est Deo, dicamúsque: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

VI. Subinde nos ipsos percunctemur: *Quid intendo his studiis, cogitationibus, occupationibus meis? ista servitute? istis obsequiis? isto labore? Quid specto? An opes? An honores? bona*

sunt, sed incerta, sed fallacia, sed peritura. An Principum favorem? ah! vitro fragilior est: dum maximè splendet, frangitur; magis lubricus est, quàm anguilla: dum teneri putatur, elabitur. Insanus sim, si sudore tam diuturno, tam constanti, tam gravi, persequar rem tam brevem, tam fragilem, tam levem; cum iisdem impensis mercari possim bona solida, secura, æterna. Cur tantum terrenis inhiabo cælestium capax? cur contentam placere hominibus, cum possim placere Deo meo? cur studebo creature, cum possim Creatori? cum invenire possim gratiam (& qualem!) apud Deum, quid de humana sum sollicitus? Profectò si istis attenderent illa aulicæ libertatis mancipia, quæ *Seneca* ait, ne suis quidem occupationibus laborare, ad alienum dormire somnum, ad alienum ambulare gradum, ad alienum comedere appetitum, vivere vitam vix ulla parte suam, non toto fructu miserrimæ istius conditionis privari

vari se paterentur, neque aliquando feris, sed feriis lamentis frustra revocarent ætatem fideliori magisque grato Domino consecrandam; sed omnia ad Deum referentes, maximum laborum præmium ab illo securi expectarent.

Porro ut actiones omnes facilius ad Deum dirigamus, attendendum est, eas aut esse necessarias, aut liberas. Necessariæ sunt, quas naturæ, quas familiæ, quas subditis, quas dominis debemus: liberæ, quas arbitrio nostro citra ullam necessitatem suscipimus. Hæ si honestæ sunt, quemadmodum esse oportet, si Conscientiæ puritatem amamus, facile ad Deum fontem honestatis dirigentur: & necessariæ majori quodammodo jure ad eum pertinent, ut ad naturæ omnisque subjectionis & domini auctorem. Itaque sic naturam, sic familiam, sic subditos curabimus, uti res curæ nostræ commissas à Deo. Majoribus verò obsequemur, tanquam à Deo præpositis;

ut in omnibus Deum reperientes, in eum potissimum intendamus oculum intentionis nostræ, ut licet plura sint objecta, circa quæ operamur, unicus tamen scopus, in quem collimemus, sit Deus, ejusque gloria & beneplacitum. Ad hoc etiam proderit *attenta consideratio finis* sui, & omnium creaturarum: creavit enim Deus hominem non ad divitias, ad honores & voluptates, aut ad creaturam quamcunque aliam, ut in ea conquiescat, ejusque fruitione se felicem & beatum existimet; sed omnia propter semetipsum operatus est, ut nimirum homo Deum, suum Conditorum, laudet & glorificet corde & opere, omnia ad majorem ipsius gloriam & laudem dirigendo in hac vita, ut tandem eo frui possit in altera, per totam æternitatem: creaturas vero reliquas idcirco condidit, ut homo eatenus iis uteretur, quatenus juvant ad faciliorem finis illius, de quo diximus, consecutionem. Unde sequitur imprimis, in usu  
crea-

## SALUTI.

creaturarum habendam potissimum  
rationem Creatoris, veluti Largitoris  
benignissimi; deinde in verti Condito-  
ris ordinationem, quotiescunque cre-  
aturæ ad alios fines usurpantur. Et  
nonne pudendum est, hominem istis  
omnibus superiorem (*omnia enim, he-  
jecisti sub pedibus ejus*) iis fœdè se sub-  
sternere, iis famulari, eas complecti  
tanto animi impetu, planè quasi non  
creaturæ propter ipsum, sed ipse pro-  
pter illas existeret? An non meritò in-  
sanire illum diceremus, & favore in-  
dignissimum, qui famulum, sibi Prin-  
cipis jussu & stipendiis inservientem,  
aliâ, quàm ad Principis obsequium, ra-  
tione usurparet? hanc nos insaniam  
quotidie ludimus, quando divini mu-  
neris & nostræ conditionis immemo-  
res, aliud spectamus quàm Deum.

## ORATIO.

**C**Oncede mihi, quæso, omnipotens  
& misericors Deus, quæ tibi pla-  
cita sunt, ardenter concupiscere, pru-

denter investigare, veraciter agnosce-  
re, & perfecte adimplere. Ad laudem  
& gloriam Nominis tui, ordina statum  
meum; & quod à me requiris, ut faci-  
am, tribue ut sciam, possim, & velim;  
& da exequi, ut oportet, & expedit  
saluti animæ meæ. Via mihi, quæso,  
ad te sit tuta, recta & consummata,  
non deficiens inter prospera & adver-  
sa; ut in illis non extollar, & in istis  
non deprimar; ut in prosperis gratias  
tibi referam, & in adversis servem pa-  
tientiam: de nullo gaudeam, vel do-  
leam, nisi quod promoveat ad te, vel  
quod abducat à te: nulli placere ap-  
petam, vel displicere timeam, nisi tibi.  
Omnia in charitate da facere, & quod  
ad cultum tuum non pertinet, quasi  
mortuum reputare. Actiones meas  
da peragere non ex consuetudine, sed  
ad te referre cum devotione. Vile-  
scant mihi omnia transitoria, & chara  
sint mihi omnia tua propter te, & tu,  
Deus, plusquam omnia. Tædeat me  
gaudii, quod est sine te; nec aliquid  
cu-



*SALUT*

cupiam, quod est extra te. Delectet  
me omnis labor, qui est pro te; & tæ-  
diofa sit mihi omnis quies, quæ non  
est in te. Frequenter & ferventer da  
mihi, dulcissime Domine, cor meum  
ad te dirigere, & defectionem meam,  
cum emendationis proposito, dolen-  
do pensare. Fac me, Deus meus, hu-  
mitem sine fictione, hilarem sine dis-  
solutione, tristem sine dejectione, ma-  
turum sine gravitate, agilem sine levi-  
tate, veracem sine duplicitate, in te  
sperantem sine præsumptione, castum  
sine corruptione, proximum corripe-  
re sine indignatione, & diligere sine  
simulatione, ipsumque ædificare ver-  
bo & exemplo sine elatione, obedi-  
entem sine contradictione, patientem  
sine murmuratione. Da mihi, Domi-  
ne Deus, cor pervigil, quod nulla ab-  
ducat à te curiosa cogitatio: da immo-  
bile, quod nulla deorsum trahat indi-  
gna affectio: da invictum, quod nulla  
fatiget tribulatio: da liberum, quod  
nulla sibi vendicet violenta delecta-  
tio;

tio; & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio. Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te inveni-entem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter & fiducialiter expectantem, & fiduciam te feliciter amplectentem. Da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, & tandem gaudiis tuis in patria frui per gloriam. Amen.

### JACULATORIÆ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti hoc opus aggredior.

Ad majorem DEI gloriam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.

Soli DEO honor & gloria in sæcula sæculorum.

Benedictus sis, Domine, in firmamen-

SALU

mento cœli, laudabilis & gloriosus  
in sæcula.

Benedicam Dominum in omni  
tempore ; semper laus ejus in ore  
meo.

Magnificate Dominum mecum, &  
exaltemus nomen ejus in idipsum.

Sit nomen Domini benedictum ex  
hoc nunc & usque in sæculum.

Magnificat anima mea Dominum,  
& exultavit spiritus meus in DEO salu-  
tari meo.

Sanctificetur nomen tuum, DEUS  
meus.

### PRÆCEPTUM III.

*Praxis conformitatis voluntatis  
humanae cum divina.*

**C**onsistit in his:

I. Ut quis sincerè & cordatè,  
minimum quoties communicat, con-  
jiciat se in divinæ providentiæ sinum ;  
non tantum permittendo illi, sed eti-  
am committendo, ut liberimè de no-  
bis, deque rebus omnibus, ad nos

quomodocumque spectantibus, de vita, de morte, de morbis, de valetudine, de honoribus, de opibus, de toto statu nostro disponat, juxta beneplacitum suæ voluntatis: *Dominus enim universorum est*; cujus dominio cum creatura nulla eximere se possit, insana sit, si velit.

II. In rebus adversis (nam in prosperis nemo est, qui non facile accommodet voluntatem suam ad divinam, juxta illud: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*) abstineamus à querelis & murmurationibus adversus DEUM, & cum *Jobo* dicamus: *Sicut Domino placuit, ita factum est*; sit nomen Domini benedictum! aut cum *Heli*: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.*

III. Caveamus investigare arcana Dei judicia; cur nobis potius quàm his aut illis hæc immiserit? latet enim hic occultus aliquis anguis superbiæ, quâ nos aliis judicamus innocentiores: scit ille solus, qui fecit, cur fecerit; imò fecit in bonum nostrum, si rectè uti sciverimus,

IV.

## SALU

IV. Uti possumus dilemmate *P. Francisci Costeri*, quo se in omnibus adversis ita solabatur, ut nulla umquam animi ægritudine tristitiâve laboraverit. Aut peccatis nostris malum istud meriti sumus, aut non: si meriti sumus; cur non cum summo gaudio adoremus divinam bonitatem, quæ in hac vita sic nos expiat, ut parcat in futura? si meriti non sumus; (quamquam de se quis id dicat?) amplissima iterum seges offertur lætitiæ: quòd eo nos tractet modo, quo Filium suum dilectissimum; & per momentaneum hoc & leve tribulationis genus, æternam gloriæ pondus operetur in nobis. *P. Sotuellus* in Anglia Martyr, hisce verbis animum suum componebat: *Deus novit, cur molestiam hanc permittat: vel enim, ut avertat gravius malum; vel, ut conferat magnum aliquod bonum: ut ut est, habeo quòd mihi gratuler, & agam gratias Deo meo.*

V. Humana interim media negligenda non sunt; sed sine anxietate, &  
ani-

animo sui potente & tranquillo, curanda: ubi enim animus passionis alicujus impetu in alterutram nimium abripi partem se finit, sperari hæc sancta Conformitas vix potest. Porro frænum, quo compescatur ille impetus, insinuabitur paulò post.

VI. Orare quidem possumus, ut divina bonitas & bonum nobis conferat, & malum avertat; ea tamen semper adjecta conditione, ut non nostra voluntas, sed illius fiat; non sicut nos volumus, sed sicut ipse. Imò perfectius foret, si nihil umquam à Deo directè peteremus; sed imitemur pias sorores, quæ de Lazari fratris ægitudine sollicitæ, nihil aliud ad Christum perscripserunt, quàm: *Ecce, quem amas, infirmatur*, reliqua ejus arbitrio bonitatisque permittentes. Ita nos: *Ecce, Domine, quem amas, hanc injuriam, hos dolores, hæc adversa patitur; hac ope, his donis, hoc solatio indiget, certi securique, quòd ille, qui amat, meliori providebit modo, quàm suggere re illi possemus.* VII.

## SALU'

VII. Si subinde senserimus in re ardua & perdifficili rebellionem aliquam voluntatis nostræ, divino beneplacito repugnantis, imaginemur Deum ipsum, aut Christum Dominum, visibiliter & in forma aspectabili nos hoc ferè modo alloquentem: *Accipe hoc, fili, de manu mea; hoc ego tibi mando & mitto; hoc volo, hac hora, hoc modo facias, aut patiâre: hunc morbum, hanc anxietatem volo, ut nunc amore mei perferas: in hoc officio ministeriôve volo mihi deservias.* Hac enim praxi difficultas omnis lenietur; quin imò beatos nos existimabimus, quòd istâ nos gratiâ dignetur, ut suâ manu calicem suum nobis propinet.

Porro ista, de qua loquor, Conformitas, his potissimum principiis innititur. 1. in agnitione divinæ sapientiæ & bonitatis. 2. in confessione cæcitatatis propriæ. Quia enim cæci sumus & bonorum nostrorum ignari, sæpè bonorum specie magis capimur, quàm veris bonis; & puerorum instar,

star, noxia appetimus, iisque adhærescimus, cum summo salutis periculo: at Deus, quia sapientissimus, vera bona secernit à malis; & quia optimus nostrique amantissimus est, disponit omnia suaviter ad utilitatem & salutem nostram immortalem, modo nobis quidem incognito, & subinde, si carnem consulas, aspero; sed semper proficuo, & qui si à nobis cognosceretur in hac vita, non modò nos non affligeret, verùm etiam cum summo gustu suavitudinis accenderet in amorem tam providi benignique Domini: sicut futurum est in altera vita, ubi clarè intelligentes suavem ordinationem mediorum, quibus nos ista bonitas ad æternam felicitatem deduxit, pro hoc morbo, pro hac injuria & contemptu, pro ista bonorum jactura, pro istis denique, quæ tantoperè jam nos affligunt, malis, immortales Deo gratias referemus.

Proderit etiam, ut quis se & sua consideret, non tamquam res suas sed alienas,

nas,



## SALUTI

nas, nempe Domini Dei, à quo eas commodatò accepit : ita tamen ut ille jus sibi reservaverit, de iis, uti suis, quandocumque libuerit, & quomocumque, disponendi ; ut in earum jactura dicere cum *Jobo* possimus : *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicuti Domino placuit, ita factum est.*

## ORATIO.

**D**Eus meus, amor meus, absit, ut quod tu vis, ego nolim ; aut quod tu non vis, velim ego. Tua voluntas, mea voluntas : imò jam amplius mea non est ; quia tua esse cœpit : imò tua jam mihi sequenda est ; quia mea esse cœpit. Idem ego velle debeo, quod tu ; & verò etiam Domine, volo. Vis me ægrotare ? volo. Vis me depauperari ? volo, tabescere ? volo, solatiis destitui ? volo. adversis plurimis exerceri ? volo. mori etiam ? èt hoc volo. Vis me cœlo adscribi ? volo quàm maxime. inferis addicere ? ah ! bone Jesu, ut hoc velles, volebam ego, & me-

re-

rebar ; ut ego hoc nollem, volebas tu,  
 & merebaris. Atqui si fieri posset (ut  
 sanè non potest) horum alterutrum,  
 aut sanctissimam voluntatem tuam  
 irritam esse, ut ego beatus sim ; aut me  
 damnatum esse, ut sanctissima tua  
 voluntas rata sit ; proclamo : melius  
 est damnari me, & servari, quod tu  
 vis, ô Deus. Sed ô bonitas, mortem  
 meam, scio, non vis, qui Filii tui mor-  
 tem ideo volebas, ut posses non velle  
 meam. Fiat igitur voluntas tua sicut  
 in cœlo & in terrâ. O Deus meus, fi-  
 at ! Illi committo omnia tum priva-  
 ta, tum publica ; quia scio tibi curam  
 esse de omnibus : neque me contur-  
 babit, quicquid sive in publicis, sive in  
 privatis acciderit ; sed in omnibus ac-  
 quiescam sanctissimæ voluntati tuæ :  
 hæc erit refugium & solatium meum.  
 Amen.

## JACULATORIÆ.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, &  
 in terra.

Sicut

## SALL

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

Domine, quid me vis facere?

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

Tuus sum ego, salvum me fac.

Sicut Domino placuit, ita factum est.

Sit nomen Domini benedictum.

Ecce Deus, Salvator meus, fiducia-  
liter agam, & non timebo.

Jube Domine, quod vis; & da per-  
ficere, quod jubes.

## CONCLUSIO.

*H*Abes, Sodalis Mariane, Artem perfe-  
ctè vivendi, non tam hîc descri-  
ptam, quàm olim præscriptam à Spiritu  
sancto per os Regii Prophetæ: Diverte à  
malo, & fac bonum, inquire pacem,  
& persequere eam. Divertit enim à  
malo, quisquis puram servat conscientiam;  
cùm nullum peccato pejus sit malum: facit  
bonitatem, qui puritate Intentionis bona  
non tantùm facit optima; sed etiam illa,  
quæ

44      *ARS SALUTIS.*

*quæ vix boni nomen merentur, bona efficit. Inquirit verò pacem, & persequitur eam, qui arbitrio divino se conformat, & in illius dispositionibus suavissimè conquiescit. Ars ergò secura est: quam paucis idcirco tradidimus; quia meliùs exercitio, quàm verbis discitur. Qui ingenii tantùm causâ hanc excutient, dicent, deesse plurima: qui voluntatem operi admovebunt, sufficere testabuntur: virtutum illi aliarum catalogum requirent; hi in duabus exercebunt omnes. Artem tamen fateor nondum absolutam. Tu ubi usum adjeceris, solves: id tibi animitus vovemus.*



INI-



OPPORTUNA  
DUO ARTIS ADMI-  
NICULA,  
TIMOR & AMOR.

PARS PRIOR.

*De Timore & Amore Domini.*

*Distributio dicendorum.*

**R**ostulasti nuper, opti-  
me Sodalis, ut ætatis tuæ  
præcipitem effrænata[m]que  
peccandi licentiam justî timoris repa-  
gulis coërcerem. Non integrum est  
tam piæ voluntati, ne dicam imperio  
in hac re tuo, non morem gerere.  
Pauca pro temporis otii[que] succisi-  
vis operis, in hanc chartam, ex san-  
ctissimorum Patrum autoritatibus  
deprompta, conjicientur. Quorum  
hic erit ordo; ut ea primùm fugiendi  
peccati proferantur argumēta, quæ te  
unum

unum spectant, deinde quæ Deum of-  
fensum, tum quæ peccatum ipsum,  
ejusque pœnas.

## CAPUT I.

*Octo rationum momenta, quæ ho-  
minem spectant.*

**H**Abet hoc omne peccatum, ut  
cùm in homines non minùs ac in  
Deum insolescat, tum nemini plus  
obsit quàm auctori. Est enim viperæ  
genus, quod ei lucem, à quo accepit,  
aufert, infelice partu, infeliciores exitu.  
Rem omnium usu testimoniòque  
probatam, octo brevissimis argumen-  
tis exequor.

### §. I. *Voluptatis usura brevif- sima.*

Aureum imprimis veniat in men-  
tē aurei viri dictum: *Momentaneum est  
quod delectat, æternum quod cruciat.* (a)  
Expende quid *momentum*; expēde quid  
*æternum*. Illud tam breve, ut initio  
finis

(a) *Chrysologus.*

## De Timore D

finis cohæreat, utriusque in unum punctum coniectis metis. Talis est voluptas: quam prius amissam scias quàm admissam. Fulguris instar, simul est in occasu, simul in ortu. Moritur citò, consenescit nunquam. Non sic pœna, non sic; quæ nullius temporis circumscripta spatiis, omnia superat durando, ipsi etiam Deo coæva. O momentum! ô æternum! ô præposteram mortalium optionem! *Æternitati perbreve anteferunt moram.* Sic, sic ille clamabat omnium exemplo unus: (a) *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce ego morior.* Expende brevitatem culpæ, celeritatem sententiæ, gravitatem pœnæ. *gustans*, inquit, *gustavi.* quid? *paululum mellis.* quo exitu? & ecce morior.

### §. 2. *Voluptatis usura turpissima.*

Quid quòd omnis in luto est voluptas; ut non tam brevitatem, quàm fœdi-

(a) *Jonathas, 1. Reg. 14.*

ditate deterreat? Inter homines desisse te puta, ex quo ad mulorum equorumve voluptates, tanquam emissarius, adhinnire cœperis. Eò etiam turpior bestiis, quòd illæ sine ratione, tu cum ratione insanias: illæ naturæ impetu, tu arbitrii consensu. O rem pudendam! quam oculis nemo humanis audeat committere, nemo divinis possit subtrahere. O deplorandam! quam nemo emit unquam, nisi sui jacturâ. Vide, vide fugitivum; vide exulem à se ipso parentem dicam, an filium? utrumque. Latet Adamus, fugit Cainus; neuter evadit. ô latibulum! ô fugam! ô criminis audaciam! etiamne Deo illudi posse speras infelix, tu vel in secreto publicus?

§. 3. *Ejusdem fastidium & amaritudo.*

Momentum dixeram voluptatis. Erravi. Aceti plus habet & fellis, quàm mellis, Pungit & cum venit, & cum  
rece-



*De Timore*

recedit. (a) Ipso in procinctu audies  
conscientiam oblatrantem: Ah! mi-  
ser, quò ruis? ubi pudor? ubi Deus?  
Hic, hic juxta te; quem videntem,  
quem vindicantem non effugies. Ipso  
in exitu ita perorabit: Admisisti? con-  
sensisti infelix? & quidem tua illa vo-  
luptatula, tanto ambitu quæsita, ex  
oculis evanuit; ex oculis dico, non ex  
animo; apud quem restat ex illâ post-  
humus dolor, longè acerbissimus par-  
tus. (b) Agnosce igitur. Non postre-  
ma gaudii modò, sed principia quo-  
que luctus obsedit. Sit ante oculos  
Amnon, (c) ille, ille contrabescens &  
desiderio sceleris, & fastidio: miser  
utrobique post & ante peccatum; sed  
utrobique speculum tui.

C

S. 4.

(a) Habet omnis hoc voluptas, sti-  
mulis agit furens, apiumque par vo-  
lantùm, ubi grata mella fudit, fugit, &  
nimis tenaci ferit iccta corda morfu. Boë-  
tius de consol. Phil. l. 3. (b) In felle amari-  
tudinis, & obligatione iniquitatis video  
te esse. Act. 8. (c) 2. Regum 13.

§. 4. *Gratiæ dispendium.*

Atque hæc damna ne gentiles quidem nesciêre. Accipe nunc, quæ Christiani, quæ Patres, quæ Fides tua persuasit.

Ad pecudum sortem miseros, dixi, venefica illa prorsus abjecit. Utinam hic finis esset, & non etiam ad dæmonum horribilem conditionem damnaret! Aspiciate, aspiciate, Adoleſcentes, quæ doleant. Animum ego vestrum, quem vidistis nunquam, ante oculos sisto: sed heu, quali quantoque è statu dejectum! quàm mutatum ab illo regio, innocente, purissimo spiritu, qui inter Angelos quoque triumphabat! Nimirum, ex quo apud Voluptatem sacramenta dixistis; amicitiam gratiamque Dei destituti, hostes bonorum omnium, Christi adversarii, tetram, olentem, fuliginosam in corpore animam gestatis, infami dæmonis cauterio inustam, & tantum non dæmones estis, Vidistis in tabellâ hinc  
Mi-

Michaelis, indè Luciferi dissimillimam effigiem? ut ille decoro vultu, fronte sublimi, erectam cœlo cervicem gerit formosissimus juvenis; hic contrà scintillantibus oculis, dirissimâ illuvie, membris obtortis, monstrum horrendum, informe, ingens, cui gratiæ lumen ademptum! Uterque animi vestri simulacrum est: ille, gratiæ donis conspicui; hic, peccati labe deformati. Heu me! Quid prodest hoc corporis cadaver circumferre, si animus, caput vitæ, interiit? Audi Sapientem: (a) *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Audi Sapientiam: (b) *Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Quis ille autem? Deus? imo Deus non mittit nisi in cœlum, *bonus ex suo, justus ex nostro.* Est ergo, est peccatum causa furoris, & irarum caput. hic gehennæ pater, hæc origo mali metuenda tibi.

C 2

§. 5.

(a) *Eccli. 21.* (b) *Luce 12.*

§. 5. *Diaboli servitus.*

Ecce aliud ex illo malum. Nam quia sese Deo subduxit; in nervum, in catenam, in herilem, imò tyrannicam, diaboli servitutem conjectus est. Excessit à latere impuri clientis purissimus patronus; non sustinet terribilissimum halitum animæ infelicis: ei in locum succedit Rex & Dominus, qui tandem? dæmon certè. O qualem custodem! cui dies noctesque non aliud incumbat, quàm misero gulam aut frangere, si liceat, aut frangendam objicere. Et nos in tanto periculo, tamque vicino mortis, hostis, flammæ perennis, hilares sumus? ad expiatorium sacramentum non confugimus? ô insaniam! Sic in morbo *ridet phreneticus; sed non est sanus.* (a) sic inter haras exulat à parente *prodigus,* exulat à filio, *addictus uni civium:* nam *aut Dei sumus, aut Diaboli; nihil medium.* (b)

§. 6.

(a) *Augustinus.* (b) *Idem.*

§. 6. *Varia animi & corporis  
damna.*

Quid illi verò in tali solitudine?  
Quid dico? in tali dæmonum contu-  
bernio constituto? Quid fiet, inquam?  
Quàm multæ undique, quàm graves  
rerum imagines affluent? quæ spectra  
per noctem oblata? qui conscientia  
clamor? qui latratus? Enim vero hîc  
vermem assiduum, hîc vulturem non  
fabulosum, hîc furias omnes, hîc or-  
cum invenies, orco pejorem. Gliscit  
intimè, omnésque penitus animi re-  
cessus pervadit inquietus horror: pa-  
vet ad omnia malè conscium pectus,  
contremiscit artubus, exalbescit me-  
tu; nec sibi, nec Deo, nec ulli cohæ-  
ret. Agunt transversum animi pestes  
omnes. Intestinum bellum, pugna  
horrida, cæca tempestas. Talis olim  
primusque Cainus; tales ab illo impii  
omnes fuere: *habet enim, habet nescio  
quos mens scelerata carnifices; aut ipsa  
sibi potiùs carnifex est.* (a) *Vis mittere*

*in infernum ? mitte in seipsum. (a)*

Quid dicam, quòd nonnunquam in vitam ipsam manat exitium? Luxatur corpus, frangiturque voluptatum immoderatâ libidine. Hinc nefandæ morborum species; hinc visi in ipso flore jam facti senes, labantibus membris, & fœtidis, & effœtis. Triste, sed justum spectaculum.

Præter hæc corporis animique damna, alia è civili consuetudine petuntur. Qualia sunt, quòd nemo unquam improbum hominem verè amavit, si improbum nôrit. Multo minus dignum honore duxit. Est enim, est honor umbra virtutis. Ut umbra suo sine corpore nulla est; ita neque verus honor sine virtute: nam *gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. (b)* Inglorius ergo, intestabilis homo, quisquis hoc testimonio caret. *Theatrum sibi vir bonus: malus autem ipse sibi supplicium, ipse ludibrium. Talis est inter allophylos Samson; pœna sibi, pila hosti. (c)* §. 7.

(a) *Augustin.* (b) *2. Cor. 1.* (c) *Judic. 16.*

§. 7. *Bonorum operum inutilitas.*

Sed hæc parva sunt. Perpende hinc mecum, quàm multis spoliatur bonis. Cùm apud Deum esset in gratiâ, inter filios Dei, particeps erat omnium timentium Deum. Nihil in toto Christiani orbis ambitu præclarè fiebat precum, orationum, votorum, austeritatum, sive in claustris, sive in templis; nihil erat, inquam, ad cuius meriti sortem non accederet. Nunc extorris, vagus, à facie Dei, atque à toto fidelium corpore, instar putridæ carnis, abscissus, nullam ex operibus vel suis, vel alienis, gratiam spemve conciliat. (a) O periculosum statum, cui medicina non prodest! Antiochum recordare. *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* (b)

C 4

§. 8.

(a) Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest. 1. Cor. 13. (b) 2. Machab. 9.

§. 8. *Mentis cæcitas & pertinacia.*

Denique ad cumulum cæterorum, exoritur ex hac destitutione tantâ (quod unum omnium gravissimum est) pertinax obfirmatâque in scelere voluntas, quam nulli inferi, nullæ minæ dimoveant. Offunditur consceleratissimæ menti horrida caligo: succedit immanis quidam ad omnia stupor. Exinde durum inaccessumque cor, & nullis cæli telis expugnabile. Ridentur omnia, callus obducitur: gratiæ hinc diminuuntur; indè scelera, pestes, hostes corroborantur. (a) Conclamatum est, Eò malum erumpit, ut neque peior esse, neque fieri melior possit. Quid infelicius? sed quid usitatius? *quotidie nascitur Achab,* (b) & Saul, & Pharaos. *quotidie clamas, ut iste, Cras: & ingravatam est cor tuum, & computruerunt cicatrices tuæ*

(a) Præcedentia peccata consequentium pœna. *Isid.* (b) *Ambrosius.*



*tuæ à facie insipientiæ tuæ. Miser! ecce, ecce dæmonem æquas malitiâ, superas poenâ. Thesaurizas enim tibi iram in die iræ. (a)*

*Summa Capitis primi.*

En tibi, charissime Fili, octo rationes à tuis ipsius commodis haustas, quas sic complectere. 1. Voluptatis unam esse guttulam, momento brevior. 2. Eamque multo felle dilutam. 3. Emendam summâ corporis animique infamiâ. 4. Maximorum etiam bonorum jacturâ; honoris, innocentiae, castitatis, gratiæ divinæ, ac sæpè humanæ; quæ tantum illius umbra est. 5. Amitti clientelam bonorum geniorum, succedentibus in locum infestissimis furiis, quarum sit ipse mancipium. 6. Insuper conscientiae stimulis exercitum perenni salo conflictari; corporis quoque florem deteri, firmitudinemque convelli. 7. Præterea exheredem, atque à spiritua-

C 5

libus

(a) Rom, 2.

libus bonis exfortem, nihil cælo dignum præstare jam posse. 8. Denique obduratam mentem obrigescere in malis, & quasi designatam ad perennes flammæ victimam, extremum exitum præstolari. Et hæc omnia ob momentum (a) quod delectat. Expende, fili, expende; expende; inquam.

## CAPUT II.

*Octo rationum momenta, quæ  
Deum offensum spectant.*

**M**ultum dixisse videor; sed nihil ad ea quæ sequuntur.

Omnis lethifera labes divinæ majestatis imminutæ crimen est. Ergo huc animum intendito.

§. I. *Deum infinitum lædit peccatum.*

Meditare, quò se fundat, quantumque pateat illa majestas? quàm immensa, quàm omni ex parte incircum-

(a) Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis. *Ezechiel. 13.*

cum scripta? quid in eâ potentia? quid virium? quid scientia? quid virtutis? deinde ita tecum disputa. Ex dignitate majestatis appetita, crimen increfcit; ut quanto augustior est illa, tantò hoc immanius esse necesse sit. Levius est, obscuri hominis gratiam effundi, quàm præstantis viri; & hujus, quàm Principis. At Regum nulla non injuria atrox est. Quid igitur, si Rex Regum Deus appetitur? Quid si ab homulo abjectissimo? quod aliud caput est indignitatis. Quantum intervallum est inter mortalem & immortalem, inter hominem & Deum, quis assequetur cogitando? Nimirum tam atrox facinus est, tamque desperatum, ut si extrema pernicies immineret Angelis, hominibus, cælo, terrisque, optanda sit totius latè mundi ruina, præ unius vel levissimæ in Deum injuriæ offensione. Quid ergo statuemus de immanibus, nefariisque flagitiis, quæ tam facile admittimus, tot & tantis? Hunc tu furorem animo putas

posse complecti? *Peccatum est inhonorare Deum; quod non debet facere homo, etiamsi totum pereat, quod non est Deus.*  
 (a) Vim expende sententiæ: nec dici potuit amplius; nec dici debuit minus.

§. 2. *Præsentem laceffit.*

Age, quoniam hoc cepimus, nunc illud meditare: quod non solum tantus Deus offenditur; sed præsens quoque, ac coram illuditur. Non ignoramus, in ipso nos vivere, moveri, & esse: non nescimus, ejus oculum omnia penetrare, nec longè ab unoquoque nostrum abesse: (b) nihilominus audemus; & quasi insultantes tantum non dicimus: Etiamsi rebus meis intersis, notes, oculis cuncta designes; scelus hoc infigam ante ora: neque est mihi curæ, quòd doleat, quòd te acerbissimè torqueat. Approbante, improbante, æquo atque iniquo aggrediar, ac complebo. O intoleran-

(a) *Augustinus.* (b) *Act. 17.*

randam insolentissimæ mentis audaciam! Tu hæc in Deum, ô vermis! ô pulvis! ô nihil! *Quære, quære locum, ubi te non videat, & fac quod vis.* (a) sed non invenies, nam & ardente lucernâ videt te; videt et extinctâ. denique vivis intra Deum.

§. 3. *Immortalem ad mortem deposcit.*

Impudentem vidisti, cognosce impium. Parum est, in oculis fecisse divinis: novum scelus molitur, parricidium Dei. Immortalem ad mortem exitiûmque deposcit; & novus hic Herodes perditum cupit non infantem in stabulo, sed regnantem in cœlo. Non placet sceptrum & potestas in vindice. Exturbetur à folio, si potest: sed hoc non potest; furit tamen, odit nimium potentem, arcet procul ab animo, quantum in se est extinguit, dum charitatem in se interficit; inquam, tanquam in divinam imaginem, (quia corpus lædi nequit) ex-

(a) *Augustinus.*

aspe-

asperata tigris insolescit. Non sum ego qui hæc dico. *In ipsum (horribile dictu) desævire rectorem & authorem,* ait Bernardus. (a) Nam, *quantum in ipsa est, ipsum Deum perimit voluntas propria. Omnino senim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo, Deum non esse Deum, &c. Crudelis planè & execrandæ malitia, quæ Dei potentiam, sapientiam, justitiam, perire desiderat.*

#### §. 4. *Beneficum offendit.*

Est quidem hoc, quod dixi, immane; id ipsum tamen longè horribilius accidit propter immensam, quâ dilexit nos Deus, charitatem. Quem enim odimus? nõne optimum parentem? à quo victum, vestitum, auramque vitalem accepimus. Circumspice te; à capite ad calcem donum Dei es. quot in te pili, tot ejus curæ, quot momenta numeras, tot beneficia usurpas. Te matri in utero, te tibi tot annis dedit, dát.

(a) *Serm. 3. de Resurrect.*

dátque toties, quoties respiras. Ecce nunc cum hæc legis, imò cum peccas, (ô incredibile dictu!) ab ipso pendes protegente, conservante, suis manibus sustinente. Si te ista nutrix vel lantum unguem desereret, quid te fieret? & tu in ipsâ beneficii usurâ mammam mordes lactantem. Mordes? exulceras, dilanias, dentibus, manibus, pedibus petis, tuis telis, suis donis. Deum Deo impingis, & sibi ipsum occurrere vel in offensa facis. Quid hîc dicam? hostem te putem? filius es. Mulum calcitrantem? homo es. An furiosum? sanus es. Exclamabo: O filium hostem! ô hominem ferum! ô sanum insanum! cujus fides infidelitate, ratio amentiam plena est. Quid plura? in homine Christiano nec Christum invenio, nec hominem.

§. 5. *Misericordiam contemnit.*

Questus sum abusum doni, hoc est, tui. Pejus est, quod sequitur; abusus donantis, hoc est, Dei. Indulgentia  
pa-

patris facit, ut genio indulgeas? Si opprimeret, si fulmine dejiceret, si ad orbem, ut potest, (quis enim vetat?) demitteret; auderes? quia pius est, tu impius? quia parcit, sævis? quia non occidit, insanis? ignoscentem calcas, quem punientem vererere? nimirum hæc illa est ingens scelestaque vis contra Spiritum sanctum, cui se negat Deus (a) posse placari vel in hoc, vel in altero mundo. Læsa quippe patientia, læsus amor fit furor, ut factus es ex ove lupus; sic ille fit ex agno leo, ex pastore judex. ò formidandam tibi personæ novitatem!

§.6. *Vim & merita patientis  
exhaurit.*

Quidquid attigi, summum videtur; at semper aliquid gravius instat. Ad sanguinem venio clamantem, non Abelis, sed Dei, sed Agni. O qualem hinc quantamque nequitiam! Occisus est. Cui? tibi. Impensus, superimpensus.

(a) *Matthæi 12.*



fus. Quam tu gratiam refers tot sudoribus, tot spinis, tot flagellis? Dicam, te projicere hunc sanguinem in ventos? qualis ille quondam, qui cruentâ in cœlum manu, *Vicisti*, clamabat, *vicisti, Galilæe!* Discrimen est. Julianus suum cruorem in Christum, nos Christi sanguinem in nos effundimus. Ille dicebat, *Vicisti*: nos, *Victus es*, clamamus, cuius bonitatem scelere superamus. Inanes ergo spes Christi, irritique omnes labores. Frustra in Cruce pependit. *Sanguis ejus super nos.* (a) Paulus: (b) *Christus vobis nihil proderit. Evacuati estis à Christo; à gratiâ excidistis.* Recedit inglorius, & irrisus, non solum à nobis, pro quibus pependit; sed etiam à dæmonibus, contra quos certavit. Quorum hæc est apud Cyprianum (c) gravis in Christum insectatio: *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi: sed*  
*nec*

(a) *Matth. 27.* (b) *Galat. 5.* (c) *De opere & eleemosynis.*

*nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum, restitutâ immortalitate denuo revoco; & munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæsita sumptuosissimis apparatus comparant? Tuos tales munerarios, Christe, demonstra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cælestia recepturos, &c. Concludit Cyprianus: Quid ad hæc respondemus, fratres charissimi? Sacrilegâ sterilitate, & quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes quâ ratione defendimus? quâ excusatione purgamus? qui diaboli servis minores sumus, ut Christo, pro pretio passionis & sanguinis, vicem nec in modicis rependamus?*

*§. 7. Christum rursus agit in Crucem.*

*Heu me! nova plaga, pejor; immajor. Dixi te dejicere crucem, mortem obliterare. Non dejicis; sed erigis. Non obliteras; sed innovas. Venditur rursus, spernitur, deseritur, abnegatur, flagellatur, spinis redimitur.*

*Bar-*

Barrabæ postponitur, ostentui habetur, crucifigitur. Cain, ubi est frater tuus? quid fecisti? negásne vidisse? aut à te tam barbarè trucidatum? at ejus sanguis apud Augustinum (a) clamat. *Gravior apud me peccatorum tuorum crux est, in quâ invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus ascendi.* Clamat apud Bernardum: *Cur addimus afflictionem afflicto? magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm Vulnera corporis sui.* Causam requiris? in Cruce homo tantum patitur: in peccato etiam Deus.

§. 8. *Nova Christi proditio.*

Ego te si Judam proditorem, si Pilatum, si Caipham dixissem, appellares ad prætorem injuriæ. Dicit non vis, & esse festinas. Quoties prodidisti? ne pro triginta quidem denariis. Et illi quidem per inscitiam; tu Christi, tu Dei in Christo non ignarus. Nonne ubi plus gratiæ, plus est sceleris?

(a) *Serm. 181.*

ris? ubi plus notitiæ, plus est nequitiæ? *Minùs peccaverunt Judæi*, inquit Augustinus, (a) *crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cælo sedentem.* Ego te certè qualem voles dicam. Sed te, si peccas, mèque Anselmus etiam diabolo nequiores facit. *Quia Diabolus*, inquit, *persistit in malitiâ, Deo reprobante; ego verò, Deo revocante.* Ille obduratur ad punientem; ego ad blandientem: & si uterq; contra Deum; ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. *Ecce cujus imaginem horrebam, aspicio in me horribiliorem.*

### *Summa Capitis secundi.*

Age nunc collige summam, si vales. 1. Offenditur Deus, & Deus immensus, & misericors, & vindex. 2. Et in oculis. 3. Et tantâ cum atrocitate, ut etiam perditum optimum parentem velimus. 4. Largitorem bonorum omnium; quo ne peccando qui-

(a) In Psal. 68. conc. 2.

quidem carere possumus. 5. Id verò quia tacet, quia non punit, quia truncum putamus. 6. Cùm tamen ejus sanguinem viderimus pro nobis effusum, frustra & pro nobis & contra nos clamantem. 7. Quid dicam amplius? non exinanitam solum Crucem, sed etiam instauratam. 8. In hoc & Judæis, & Judâ, & judice Pilato, & denique diabolo crudeliores, ut modo audisti. Et ista tanta furorem non sistent? Summus, optimus Deus ab abjectissimo vermiculo tam atrociter offenditur? momentigratiâ? Ah! si homines hæc intelligerent! si Christiani perpenderent! Quis ille tam furiosus tamque impius, qui in hæc nefanda, immania, truculenta spontè incurrat? tunc, fili? tu, Christi secutor? ah! mihi nunquam de te tam sinistra mens obveniat. Non credo; nec credam, dum aliquis sensus erit. ergo respice, *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.* (a) Ergo  
(in-

(a) *Ecclesiastæ 12.*

(infert rectè Bernardus) *si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. (a)*

### CAPUT III.

*Octo rationum momenta, quæ spectant peccatum, ejusque pœnas.*

**A**ddamus postremum è tribus capit, quod duobus primis hoc fortè potentius futurum est, quo magis sensibus obnoxium. Ex effectis ipsis sumitur. Scenas hîc dabo, & tragædias hortendas.

#### §. I. *Angelorum casus.*

Ecce in ipso proscenio mundi, inter altissimas nubes, vident' Angelicum illum pavonem? quàm nobili incessu quondam! quàm rutilantibus pennis! nimirum Angelorum omnium gratiâ, decore, potentiâ, ingenio, scientiâ, naturâ facile principem. En fortuna: do nunc casum. Admittitur cogitatio superba. Consentitur. O cœli vices! Ruit, ruit fidus illud antiquum, atque  
à sum-

(a) *Serm. 20. in Cant.*

à summo vertice non in terram, non in mare dejectus; sed inter flammæ perennes ergastulo addicitur inferorum, ex Angelo dæmon, ex felicissimo miserrimus. O catastrophem! ô exitum terribilem! Quæ causâ fuit? cogitatio, una, unius momenti. O cogitata cogitationem istam, & ab unâ disce omnes. *mensura Angeli, mensura hominis.* Olim cædebatur canis, ut paveret leo: hîc cæditur leo, ut pavescat canis. nam *si tale scrutinium est in Hierusalem; (cum Hieronymo loquor) quale futurum est in Babylone?*

§. 2. *Adami ruina.*

Permuto scenam. Viridarium propono rosas, myrtetis, deliciis, somno plenissimum. Nondum steriles avenæ, nec infelix paliurus apparebat; æterni flores, ver perpetuum, pax summa. Hæc scena. Sed vide cœnam longè infelicissimam. Pomum comeditur. Quid exinde? heu me! Ille hominum caput, mundi, cœli, terrarum, ele-

elementorum, tempestatum, belluarum,  
 piscium, avium, ferarum, & quod caput est, sui Rex: ille prudentissimus, sapientissimus, beatissimus, in quantas servitutes cladésque venit? omnium pila malorum, ludibrium fortunæ, mancipium sui. Nimirum ab uno malo ad omnia mala itum est. Numeram plagas rixásque terrarum, maris & cœli jurgia, grandines, procellas, frigora, sterilitates, annonas graves, incendia, diluvia, vastitates. Numeram pessimi omnium servorum (corporis nostri dico) perduelliones, defectiones, morbos, febres, contagia, lethiferos sudores, quot denique mortes? numeram pestes animi, iras, livores, odia, simultates, ægritudines; atque hinc neces, parricidia, lites, bella, quàm gravia omnia? quid illa mortis præsentis & futuræ supplicia, inferos, flammam, tenebras perennes? quid tot millia miserorum infantium hac gulâ consumpta? Hæc si perpendes, nōne exclamabis? ô malum, malum!



malum ! quanto sanguine stetit ?  
nonne cum Zachariâ (a) dices ? Quo-  
niam Adam exemplum meum ab Adole-  
scentiâ meâ. O primordia rerum ! E-  
heu ! si talia sunt initia nascentis mun-  
di ; quod erit funus & morientis, &  
damnati !

*§. 3. Inferorum tormenta.*

O malum, malum ! ô momentum,  
momentum ! An in Angelo cogitatio ?  
in Adamo morsus, tam atrociter ? in  
nobis flagitium, & tot flagitia, non  
punientur ; cum justus sit Judex, & o-  
mnibus æquus ! Descende ab orche-  
strâ in caveam inferni. Hic tibi sce-  
nam igneam, hinc lanistas ostendam  
nunquam rûde donandos. Videbis,  
inquam, non te, (quod avertat Deus)  
sed tuum peccatum mirabiliter excru-  
ciatum, qualecunque voles, blasphemiam,  
impudicitiam, ebrietatem.  
Quid hinc dico ? ignem æternum tui,  
mei, inquam, peccati pœnam esse.

D

IGNEM

(a) *Cap. 13.*

IGNEM expende, deinde ÆTERNUM: tum utrumque committe, IGNEM ÆTERNUM. *Ignem, nil gravius: æternum, nil longius. Ignem, quo animus, quo corpus, membra, oculi, viscera, præcordia, omnia torrentur. Æternum, cui meta Deus, & homo qui cruciatur. Ignem, qui cesset nunquam. Æternum, qui nunquam finiatur. Ignem, cui noster ignis collatus sit fumus. Æternum, cui vita nostra comparata sit puncto minor. IGNEM ÆTERNUM denique. Hoc est uri, uri, & semper uri. Hoc unum in inferno vocabulum, una hæc actio; uri. Fallor. Una hæc passio. Manè, serò, nocte dièque. Fallor, die, nocte perpetuâ. Credis hoc? fide certum est. Credis, inquam? tu credis? ergo evici, ut nunquam pecces. *Quis enim poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (a) Túne, fili? experire, & ante ferales orci nuptias ineluctabilem animo ac mente*

(a) *Isa. 33.*

te desponde rogam : imitare Scævola-  
lam Christianum, dico Martinianum,  
(a) & injectâ in ignes manu dic ani-  
mæ, dic corpori tuo : Poteris in æter-  
num uri?

§. 4. *Jactura gloriae cælestis.*

Vis adhuc amplius? ita, æterno am-  
plius. Quid? Deum quem perdis,  
Cœlum quo excidis, Angelos, Beatos,  
beatitudinem ipsam; tuam, si non  
peccâsses; æternam, si momento non  
posthabuisses. O qualem luctum,  
cum hæc in oculis quondam erunt!  
Egône infelix mercator parvo immen-  
sa, caduco æterna, instabili certa atque  
mansura postposui? itâne est? Deo  
caremus, summo bono? Jesu meo,  
& Matre Jesu, & omnibus bonis?  
Gaudia illa immensa, quæ præparavit  
Deus diligentibus se, mea non sunt?  
nec videbo unquam: aut si videbo,  
tantum ut amissa doleam? O *infernum*,  
inquit Chrysostomus, *inferno acerbio-  
rem!*

D 2

rem!

(a) *Sur. Febr. 13.*

rem! nam cum tanta fit in nobis privatio boni, quantum ipsum bonum quod perditur; summum id malum esse oportet, quo fit jactura summi boni, hoc est, Dei. O te poenâ divitem! qui uno momento & summum acquiras gehennæ malum, & summum amittas æternæ beatitudinis bonum, utroque miserrimus!

§. 5. *Peccato impar est omnis  
pœna.*

Horres in suppliciis; ego in suppliciorum causis. Credēsne? non sævitur in inferno, sed parcitur. Minor est pœna quàm culpa, æternitas quàm momentum. Ita est. Nec inferi, nec cœlum explent. Stupes? stupeo ego stuporem tuum. Audi in quo exhorrescas multò magis. Si maria omnia in lacrymas, cœlum omne in gemitus, quicquid est in suspiria verteretur; ne sic quidem hujus incendii vel scintillam extingueres. Audi amplius. Si quot stellæ in cœlo, quot stillæ in ma-

ri,

ri, quot arenæ scrupi in littore, tot essent mundi in cinere & cilicio; ad expiandam vel unicam labem, fieret nihil. Audi amplius. (a) Si ad hoc Angelorum, hominum, dæmonum etiam infinita multitudo concurreret, votis, pœnis, flammis infinitis, immensis, sempiternis. Audi amplius. Si singuli eorum, quos dixi, omnes omnium inferorum rogos exantlarent, & singuli essent infiniti, & infiniti infinita sufferrent, & infinito tempore; tot victimæ, ô rem incredibilem, sed verissimam!) tot & tantæ victimæ nunquam litarent; quantumvis æternum facerent ac voverent. Comprehendis? aut si tibi hæc vertiginem afferunt, fatere omni opinione majus esse peccatum.

*§. 6. Solus par Deus.*

Unus par, qui maximè impar, Deus.  
Hic tibi novum aperio theatrum.  
Calvariam. Deus patiens, Deus in cruce.

D 3

ce.

(a) S. Aug. D. Thom. Sum. Vsq.

ce. O tragicam scenam! Numerata sputa, colaphos, flagella, spinas, clavos, crucem. Cogita deinde, quid sit hæc pati Deum. Expende, qui valor sit sanguinis tanti. Expende, inquam. Pervenisti ad summum. Hoc, hoc pretium peccati fuit; sanguis Dei, vita Dei, mors, crux, anima Dei. O rem inexcogitabilem! & miramur Anselmum, (a) cum dicit? *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi; prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Non miror, non miror, si parricidam Christi non amat etiam in cœlo; si flammam non timet etiam in inferno. Mutatur scena, & cœlum fit infernus cum hac furiâ furiarum, quæ dæmoni quoque dæmon est, & flammis oleum ac bitumen. Adest? ardent omnia, etiam  
asbe.

(a) De similitud. cap. 190.

*asbestina, Angeli & Animæ. Abest?*  
ros ubique, etiam in fornace.

§. 7. *In hac quoque vita  
punitur.*

Et quidem ardentem in cœlo, in paradiso, in inferis, in ipso Deo vidiſti; ecce do conflagrantem in terris. Recordare adulterium Davidis, furtum Achani, blasphemum Rabfacem. Revolve annales, quoties unius ob culpam & furias regna in exitium data; hîc millia peste consumpta, hîc diluvio populos, hîc incendio urbes. Videbis etiam pignora in scelere parentum intercepta, & vicissim parentes in puerorum. Videbis totam ab uno familiam damnatam, filios, nepotes, pronepotes, hereditariam luem, & nullius in morte morientem. Quod si in hac vitâ quæ misericordiæ stadium est, tantâ atrocitate sævitur etiam in amicos; quid in alterâ putandum est, in quâ puniuntur inimici? nam si *incipiat iudicium à domo Dei; quis finis*

*eorum, qui non credunt Dei Evangelio?  
Et si justus vix salvabitur; impius & pec-  
cator ubi parebunt? (a)*

*§. 8. Quàm odiosum sit Deo.*

Postremò tela in peccatum nulla  
tam acuta, quàm Dei verba. *Iratus est  
furore Dominus. Exacerbavit Dominum  
peccator. Tactus dolore eordis intrinsecùs.  
Pœnituit eum. Odisti omnes, qui operan-  
tur iniquitatem.* Furor in Deo, exa-  
cerbatio, ira, dolor, pœnitentia, odi-  
um deniq; : quid terribilius? Gravis ira,  
Regum semper: Dei qualis & quanta?  
mirum. Nihil odit eorum Deus quæ  
fecit. *Tolle peccatum, viditque cuncta  
quæ fecerat, & erant valdè bona. (b)*  
Pone peccatum: Non Angelus, non  
Homo, non Mater, non Filius placere  
potest. Elephanto sanguinem osten-  
dis: In furorem agitur. Omnia pes-  
sumdat, suos, alienos, servos, filios, &  
filium filiorum Jesum Christum. Di-  
cam hîc, quod immenso horrore  
com-

(a) 1. Pet. 4. (b) Gen. 1.



compleat. Plus unica labes Deum exulcerat, quàm Sanctorum placeant omnium omnia præclare facta, dicta, cogitata, perpetrata, quæcumque olim aut fuere, aut nunc sunt, aut postea erunt. Attende, quid asseverem. In alteram lancem congere Abrahams, Isaacos, Jacobos, Davides, Prophetas, Apostolos, Martyres, Virgines, sancta sacræque omnia; in alteram unum peccatum appende.: prævalet hoc omnibus omnium bonis, præponderat & descendit. O pondus immensum! O te Atlante fortiolem! qui non cælum, sed inferos, sed omnibus inferis graviolem molem sustineas! Unde hoc, quæris? Offensa Dei est. En montes. En asinaria mola suspensa collo. Quantum enim Deus vertice ad auras æthereas, tantum ejus offensa radice in tartara tendit. Quem, quæso, ista, si non planè stipes est, & stipite omni stupidior, non percellant?

*Summa Capitis.*

Ergo ita digere. Vide 1. quæ Angeli  
 pœna, temerariæ cogitationi inflicta.  
 2. Quæ Adami, ejusque nepotum, u-  
 num ob pomum. 3. Quæ mea, quæ  
 tua apud inferos. 4. Quæ cœli jactu-  
 ra. 5. Quî fiat, ut neutrius æternitatis  
 supplicio satisfiat? neque omnium  
 Angelorum hominûmque votis &  
 pœnis. 6. Unum in cruce Deum huic  
 malo parem. 7. Incredibiles hîc quo-  
 que, dum parcitur, multas irrogari.  
 8. Vinci peccato omnia bona; imò  
 etiam omnia mala. Quare concludo:  
 nihil in mundo exitiosius esse homini;  
 si tamen homo est qui peccat. Con-  
 cludo: colubrum esse in sinu, pestem  
 animi, cancrum, mortem, exitium,  
 flammam, infernum, Megæram, & si  
 quid pejus excogitari potest. Conclu-  
 do: cum justissimus Deus personarum  
 acceptor non sit; quod in Angelo  
 quod in patre nostro, quod in fratri-  
 bus tam acerbè punivit, id ipsum si in-  
 no-

nobis nactus erit, æquali pondere puni-  
turum: imò jam fortè punire. Con-  
cludo: quicquid agas, quamcunque  
in partem te vertas, ferius ocyus luen-  
dum tibi est. Hic vel illic, igne aut a-  
quâ, lacrymis vel flammis, Tua est  
optio.

## CAPUT IV.

### *Conclusio Prioris Partis.*

**H**Abes, quæ sponderam, mo-  
menta rationum omnino quatu-  
or supra viginti. Octo prima, ut initio  
dixi, te spectant. Octo secunda De-  
um. Octo tertia peccatum tuum.

### *§. 1. Anacephalæosis.*

Nunc ego te, optime Sodalis ad  
te ipsum revoco, te tibi filio, Con-  
siderâsti? perpendisti? quæ igitur tua  
mens? qui sensus? Rogo te, qui fieri  
potest, ut homo rationis compos, ut  
Christianus, in tam horribilem omni-  
um malorum voraginem sciens vo-  
lensque se præcipitet? Vidisti, uti volu-

ptas brevissima, spurcissima, amarissima, scopulus omnium bonorum, vi-  
ræ, valetudinis, incolumitatis, famæ,  
honoris, pudicitia, tranquillitatis ani-  
mi, gratia divina atque humana. Vi-  
disti, uti corporis vires infringeret,  
cursum annorum imminueret, æter-  
nitatis pœnam non contraheret. Vidi-  
sti, ut in ordinem bestiarum suâ spur-  
citiæ, imò infra bestias & in numero  
dæmonum suâ malitiâ collocaret, &  
aliquid pejus afferret inferno, quem  
peccato præferunt Sancti. Vidisti, ut  
omnibus virtutibus spoliatos, præsi-  
diisque cœli, suffragiis Ecclesiæ, com-  
munionem Sanctorum, protectione  
Dei & Angelorum, mancipia efficeret  
diaboli, milites ejus & contubernales,  
desertores Christi, charitatis parrici-  
das, impios, efferatos, perduelles, per-  
tinaces, atque in proprium exitium  
cœco impetu ruentes. Vidisti, vidisti  
effrænatae mentis & in malo obstina-  
tæ horribilem & omni monstro hor-  
ribiliorem imaginem; ejus jugulo im-  
mi-

minentem hostem, dæmonem & Deum, mortem hanc & æternam. Vidisti etiam, quàm gravis esset illa culpa, quæ Dei majestatem imminueret, potentiam contemneret, bonitatem calcaret, justitiam irrideret, non se oculis subtrahens divinis; sed opponens, sed ingerens. Vidisti, ut beneficia in tela, indulgentiam in contumeliam, amorem in odium converteret; vitam & suam & Christi, utramque à Deo sibi donatam, disperderet: divinum sanguinem per summam injuriam rursus effunderet, calcaret, exinaniret, novas ei cruces fabricaret, voluntate peior & Judæis, & dæmonibus. licet factis minor.

Denique ne putares fieri ista grandiora dicendo; ex pœnis magnitudinem culpæ conjiciendam dedi. Vidisti tragœdias, Angelum, Adamum, te ipsum. Communem omnibus peccantibus scenam, infernum. Ibi tuum jam ardere peccatum, nunc quidem in alienis corporibus, præjudicium &

ex-

exemplum tui; postea in animo, in membris, in omnibus fibris tuis, nisi cessas. Pœnam porrò tantam, ut æternum sæviat; nec tamen tantam, ut peccatum expiet. Ad hoc in crucem agendum fuisse Deum, in infinitas clades hominem, etiam in hac vitâ. Incredible odium Dei in peccatum audisti.

§. 3. *Peroratio.*

Quibus probè intellectis, éstne nunc hærendi locus? est gutta sanguinis? est sensus in venis, qui non stupore, formidinéque obrigescat? Quo non æltu rapi, in quam admirationem non venire debemus amentia, stuporis, furoris hominum, horrificæ rerum ignorationis? Quid dicis de te ipso? ubi nunc es? quomodo non exclamas? O me miserum! quid egi? egóne? O infelicem! quàm immensum pondus malorum! quàm omni ex parte infinitum! quàm sine numero! quàm sine fine? & quorsum? mo-  
men-

menti gratiâ? Credam hoc? ego unus horulæ causâ quæ præteriit, quæ evanuit? quid dico? quæ nunquam præteribit, dum ero. Ego Christianus hoc feci? momentum æternitati prætuli? & quoties? & quàm diù? O stultum! ô amentem! ô furiosum! violata ergo, pessumdata, funestata virginitas mea, amissa innocentia, pudor ereptus, Deus abjectus, perdita omnia? Quàm pauca dixi? Heu me, quid dicam? nesciebam ista? toties monitus à Deo: foris, intus, ubique. Ignorabam Christum? Redemptorem, Creatorem, Servatorem? tot ejus beneficia, tot curas, tantam providentiam, misericordiam tantam, & justitiam tantam? an fulminantem in omnes justumque, putabam me unum præteriturum? Quid dicam? quò me vertam? Ah! dilectissime fili, quid? lacrymæ tuæ, suspiria, gemitus quæruntur. Hic, hîc. Ne longius abeas, in hanc chartam effunde. Curre, festina dum tempus est. Ego te, per  
quic-

quicquid tuum est, æternum & cadu-  
cum; quid ego? tuus, tuus te Chri-  
stus, tua salus, tua æternitas, tua omnia  
hoc petunt. Si te amas, si vitam hanc,  
si secundam; age, quanto robore po-  
teris, inconcusso decreto exere vires  
mentis omnes, ut horrorem, ut odi-  
um, ut iram, ut immortales inimiciti-  
as concipias. Dic, dic: Veniant cata-  
stæ, eculei, flagella, scorpium; non com-  
mittam. Nunquam, in æternum non  
committam. Sit tibi hoc in mente, sit  
in corde, sit in oculis, sit in lecto, sit  
in ludo, die nocteque fixum, irrefi-  
xum, NON PECCARE, & si peccasti,  
peccato non inhærere. Fuge colu-  
brum, fuge mortem, fuge flammam:  
insequuntur, instant, post tua terga;  
respice immensas, infinitas, æternas.  
Fuge, fuge, inquam. Sodoma ardet &  
ardebit. Fuge in montes, fuge quò non  
accedat hæc lues; fuge ocyus, dum  
licet. Citò, citò. Longè, longè.



§. 3. *EFFATA.*

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ? *Christus.*

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Job.*

Non est ludus hæc vita; aut si est ludus hæc vita, non est ludus et altera vita. *Chrysostomus.*

Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur Æternitas. *Gregorius M.*

Festinare debet unusquisque ad Deum poenitendo; ne, si dum potest, noluerit, cum tardè voluerit, non possit. *Isidorus.*

Qui poenitenti veniam promisit, peccanti diem crastinum non spon- dit. *Augustinus.*

Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, poena interminabilis. *Chrysostomus.*

Quid stupemus? ubi sumus? quis iste

iste qui nos eludit somnus? quæ est ista, quæ nos tenet, lethalis oblivio? quare non cælo mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus? *Chrysologus.*



CONSUMMATÆ  
SAPIENTIÆ FINIS,  
AMOR DEI.

*PARS POSTERIOR.*

*Argumentum & causa scribendi.*

**L**egisti deinde, ut pari, quo cæperam cursu, ordineque dicendi, quem sponderam, *Amorem Timori* subjungerem, hoc est, initio Sapientiæ finem. Equidem èt in hoc argumenti genere parebo libens. *Est enim præceptum super cælos, super omnes libros, cui militat omnis lingua Sanctorum. (a)* Ergò

(a) *Augustinus.*

Ergo facultate dicendi precibus à Patre luminum votisque rite procuratâ, Bernardum ante omnes adduco fiddissimum amoris interpretem. *Cogita Deum, inquit, cogita Dominum, cogita Patrem: ad omnia reus es.*

Ecce tria proponit differenda: de Deo, in quo sint omnia; de Domino, à quo pendeant universa; de Patre, à quo sperentur æterna. Nihil supra, nihil ultra. denique summa rei est, si quod ames, summum sit in se, summumque tibi. *Re, Beneficio, Voto, Hic erit ordo modusque dicendi.*

## PARS I.

### *Cogita DEUM.*

**C**ertat itaque Deus imprimis omnibus amoris telis: pulchritudine, majestate, potentiâ, sapientiâ, æquitate, clementiâ; postremo suâ suique tum immensitate, tum æternitate. Quæ tibi quàm brevissimè pro tantarum magnitudine rerum alacer expediam. §. 1.

## §. 1. Pulchritudo.

Prima sit ergo fax amoris, quæ omnium oculos in sese rapit; PULCHRITUDO, est enim amori, quod ferro magnes, aut paleæ succinum; vel, ut vult Plato, quod partui *Lucina*.

Jam in Deo quantam putas? *audite canticum. Summa & vera pulchritudo, justitia est; si ubique justus, ubique pulcher.* (a) *Ideam pulchri* vocat idem Plato, cujus in comparatione sit *Helena, simia*. stultum exemplum. Ego diem ipsum præ Deo nostro noctem puto. Nam si est *idea pulchri*, est ipsamet in abstracto pulchritudo. Sicut enim cum universè dicitur albedo, intelligis quidquid est in nive lilióve candoris; ita cum *ideam pulchri* nominas, intelligere debes, quicquid amabilitatis sparsum est hinc inde in effectu, totum in Deo, tanquam in fonte, simul esse collectam. Unde Augustino *semper est nova, semper antiqua, unde nova sem-*

(a) *Augustinus.*

semper, nisi quia infinita? & und e  
semper *antiqua*, nisi quia nunquam a-  
lia? sic efflorescens ortu perpetuo, ut  
tamen antiquitate sit cana: & rursus  
sic grandæva, ut consenescat nun-  
quam. Quotidiè pariens in Patre, quo-  
tidie nascens in Filio: in utroque &  
ab utroque semper amor, & semper a-  
mans. Nunquam effœta; simplex &  
tota, multiplex & una, sine partibus,  
& harmonica tamen.

Ecce mundo nihil est formosius, ut  
qui omnium omnes in sese formas  
contineat unus; nihilominus quota  
pars Dei mundus? quem uno verbi  
sui nutu *pulchrum pulcherrimus ipse con-*  
*didit.* (a) *Isaiæ* (b) *vix stilla est situla:*  
*Sapientii* (c) *gutta roris antelucani.* De-  
nique quid est pulchritudo, nisi perfe-  
ctio cujusque rei, numeris omnibus  
absoluta? nihil ergo Deo pulchrius,  
quo constat nihil excogitari posse per-  
fectius. Age, conscende gradatim à  
non vivente ad vivens, ab hoc ad ani-  
mal,

(a) *Boëtii.* (b) *cap. 40.* (c) *c. 11.*

mal, mox ad hominem; indè Angelos percurre omnes, & singulos specie (si quid Thomæ credimus) formæque dissimiles. Jam hæc inter se compara: quid erit vermis ad Angelum, infimus ad supremum, unus ad omnes, omnes ad Deum? & quid tu unus, tu infimus, & infimus infimorum? audi majora. Chrysoftomus ait, in uno corpore glorioso plus esse splendoris, quàm si tot essent soles, quot astra: & tamen corporis ad animæ gloriam comparatio nulla est. Qualis igitur erit lucis ad tenebras? Creatoris ad creaturam, hoc est, totius ad nihil? certè tanta, ut Augustinus dicat, vel unum ejus fruendæ momentum, totius æternitatis esse dispendio comparandum. Hæc est illa felicis incendiî tæda, quæ cœli domus ardet undique, *amore*, ut Dionysius appellat, *interminabili*. rapit enim amabilitas immensa, nec otiosos patitur, nec feriantes. felix necessitas, quæ ad meliora compellit! Quid plura? talis ac tanta res est, ut & amissa  
 mise-

miseros, & possessa beatos faciat Angelos, homines, omnes, solâ sui seu visione, seu privatione. Sed adhuc audi majora. Deus ipse sui stupore felix est. Nam dum se videt, æternûmque miratur; parit æqualem sibi, quo sic inardescit, ut amore sui flagret non solum infinito, sed etiam Deo. Amor enim in Patre Filióque Deus est, & in utroque summa sempiternaque voluptas. ita fruitur seipso Deus.

En qualis, en quanta summi boni pulchritudo! quæ ipsum quoque Deum non beatum præstat modò, sed et de Deo Deum, amoris æstu reciproco, & amore Deo.

Vide nunc immanem, incredibilemque hominum amentiam, quibus cum vel unum hujusce pulcherrimæ vitæ momentum totâ sit emendum æternitate, stultis æternitas etiam tota præ momento vilescit. Proh cæcitas! & unde hoc, ô miseri? quis furor est, id ultro temerèque disperdere, quod omnibus votis ambitis? Quoti-  
es

es pro Helenâ certatum est? *Ecce incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum.* (a) Cur ergo tantum incendiî in scintillâ; cum in tanto sit igne merum frigus? an perdidit Deus, quod uni, quod omnibus dedit? *Ecce Jobo* (b) non est omnis ista, quanta quanta est, mundi pulchritudo, nisi *vestigium* plantæ ejus. Si pro vestigio plantæ sic insanitis, quod erit os, quæ divini forma vultûs? O stulti & tardi corde ad credendum! Quid hoc monstri est? Pars quæritur amisso toto, rivulus fonte deserto? Pars quæritur? imò curritur ad mortem per hos ignes verè fatuos. Et cum apud Deum solummodò liceat amare simul & sapere; vos vecordes nec amatis, nec sapitis, utroque foedi, utroque foedifragi.

### §. 2. *Majestas.*

Pulchritudini succedit amplitudo, *Majestas* amoris. Hic est ille sub quo  
cur-

(a) *Augustinus.* (b) *vide c. 11. § 23.*



*curvantur qui portant orbem*, omnium Rex, potestate non extemporaneâ, non precariâ, nec à subditis extortâ, aut eorum *manibus hinc indè* suffultâ; sed innatâ, inamissibili, atque sempiternâ. Est enim caput mundi, caputque capitis tui, à quo vitaliter intiméque pendes, tanquam à supremo artifice tui; cujus es proinde res, & ut in manu figuli lutum. Exulem te à te, si sine Deo es, & *acephalum* (a) puta.

Ad hæc finge animo Regem, qualem Joannes descripsit, (b) solio sublimem aureo; cui fulmina sunt ad pedes, ad manum Angeli, ad nutum omnia. Cui vitreæ mundus instar est bullæ, pila, follis, fritillum quo ludit. Exinde propone millia millium ante ora prostrata, totiúsque latè naturæ supplicibus votis, cœlo, terrâ, marique adoratum Numen. Ibi te, ceu vermiculum, tot inter cuneos ne comparere quidem. Quid dico? comparere, sed reum; qualis ille servus nequam,

(a) Clemens Alex. (b) Apoc. 4.

quam, *manibus post terga revinctis*; aut qualis illa mulier in flagrante delicto, plena adulterii recentis, & adhuc exoleta. quo mentis attonitæ stupore, puto, comprehendis, etsi non dicam: sed quod instat, puto, nec cum auditur, intelligi; nec cum dicitur, dici. Constitue igitur ibidem tantum illum Regem, te jam exanimato metu, te, inquam, tremente, præstolantèque æternæ mortis ignes, repente descendere de solio Deum, virgam protendere auream, ruere in amplexus, vociferari; *Quid habes, Esther? ego sum frater tuus.* Ô rem stupendam! Ecce in hoc discrimine tanto duo certant ex æquo, Majestas & Amor, utrumque in unâ sede, mirâ societate: utrumque pro te, miro stratagemate. utri das manus? Tu tantæ Majestatis reus, & toties? Tu tantæ charitatis gremio receptus, & toties?

At ista finguntur. Utinam! de quo dubitas? de Deo, an de reo? alterum docet te fides, alterum sensus: neutro  
fal-

fallente. Ergo urgeris utrimque, & furore tuo, & charitate Christi; sed istâ magis. Quid enim amplius dici potest? ecce jacetis ad fores ambo. ille procus animæ tuæ; tu hostis: ille *guttis noctium plenus*; & tu quoque: sed ille pro salute, tu pro voluptate. Vide discrimen, & agnosce crimen. vincit amor Deum, non te, summo major, infimo minor. hæ vices!

### §. 3. *Potestas.*

Ut formam Majestas, ita Majestatem *Potestas* utrimque commendat. Non enim pulchra tantum aut grandia placent, sed etiam utilia. Nam etsi verus amor opes in amico minimè requirat, æmulus honesti; nec tam Regi studeat, quàm Alexandro: tamen ubi conspirant, utroque, ut ita dicam, currit pede, simul ambiens, simul amplectens. Denique viscum amat hic ales, & *capitur dum capit; prædo fit præda.* (a)

E 2

Nunc

(a) *Augustinus.*

Nunc ab omnipotente quid non sperare audeas, si amicus es, à quo fides (ut notat S. Zeno) tantum habet, quantum credit cupitque? Hic est ex utraque parte limes: voluntas hinc tua, immensa licet; inde omnipotentia Dei, scutum, finis, & carinæ statio tutissima. Fac te ab omnibus usque desertum, præterquam à Deo; muta thesim. fac te omnium patrociniis viribusque defensum, præterquam Dei. stent à partibus tuis utriusque demones, cœli inferique, & inter utroque mediū, si qui sunt; stent et tyranni. Quis invadet Deo protegente? quis eripiet Deo invadente? Nimirum utrobique vel certus es pœnæ, vel securus gratiæ. Ille, ille Reges, ille sapientes, ille fortes, ille felices ad libitum creat; arbiter utriusque fortis, fortunâ major & fato.

Vides itaque, non jam proponi Deum, sed te: ut si rebellem non flectat merito suo, quantumvis infinito; trahat cunctantem comòdo tuo, etiam  
 infi-

infinito; aut certe vincat utroque, dum intelligis & sufficere sibi plenitudine majestatis, & redundare tibi magnitudine potestatis. Simul ut admirere conjunctam cum potentiâ tantâ tantam pietatem. Nam cum posset obterere vel solo nutu perduellem; ille interim suspendit ictum, abstinere manum. Eheu! quàm pauca dixi? qui non abstinere modò suam, sed et peccantis sustinet, alit, atque, ut ita loquar, manum manu ducit, etiam colaphum impingentem: quasi luderet cum filio pater, aut filius cum patre certaret; ille pietate, hic immanitate. O patrem, quo nemo pater magis! ô filium, quo nemo filius minus! ô utrumque suo in genere vincentem; sed alterum malo, alterum bono! nisi te vincat quoque, quia vinci se finit; & ita vincas atque vincaris bono tuo.

*§. 4. Sapientia.*

Quòd si resistis adhuc, en quartum amoris telum *Sapientiam*, ut cetera, in-

circumscriptam; imò, ut cetera, circumscriptam loco, tempore, carne, utrumque meditare.

Primum ergo pone hominem vel Angelum, qualem Argum finxere Poëtæ, totum oculum, semper insomnem; qui cuncta pervideat etiam absens, etiam in tenebris, pandat arcana, pangat futura, simul omnia comprehendat unâ facillimâque cognitione; cui totus orbis unus sit locus, sagax, solers, artium omnium peritissimus, Aristotele subtilior, Platone divinior, Demosthene facundior; scientiam omnium habeat unus, & unus sit quod omnes. en umbra sapientiæ Dei. Me miserum! quid, quem, cui compono? hominem Deo, lucem tenebris, à quâ distet intervallo non longo proximus, sed infinito distitus. Deus enim non est cognoscens; sed ipsa met ille cognitio, *lumen indeficiens*, actus purissimus, simplicissimus, minime operosus, cui videre natura est, & insuper natura rerum omnium: cum  
ideo

ideò tantùm sint, ut videantur ab artifice scientiâ, per quam ille futura ordinat, præsentia regit, præterita refert, historiæ simul & prophetiæ faber, vates vatum, mênisque mundi.

Jam verò si duplici titulo sapientes placent, meriti atque consilii; si prævalent fortibus; qualis erit tibi Deus in hac sapientiæ plenitudine tantâ? Quid si scias (ecce alterum meditando tibi) quid si, inquam, scias totam, quanta quanta est, impendi tibi, vigilare; etiam cum dormis? ejusdem ministerio scientiæ *deducere velut ovem Joseph*, à scopulo in scopulum, errore viarum, ac labyrintho vitæ, cujus ipse sit funis & finis? eritne tibi postmodum de sæculo timor, cui tantus in sæculo tutor? Quid si scias eum uti venenis tuis, ut remediis suis? Vide quid dicam. Audisti quanto sit ei peccatum horrore. Nihilominus indulgentissimus pater convertit malum in bonum, & miraculo non tam scientiæ quàm amoris, ab hoste salutis repetit

salutem. *Omnia, inquit Augustinus, cooperantur in bonum, etiam peccata.* Quid tu ad hæc? adhucne truncus & stipes? adhucne præfers pulchro deformem, regi servum, potenti inutilem, sapienti stultum, benefico maleficum; dico Deo mundum, dico teipsum? Quid enim tibi melius aut sapientius Deo? Quid tibi pejus aut stultius te ipso? heu me! penè dixi; quid pro te stultius sapientiâ Dei? *O novam amoris divini syntaxin! Verbum Infans.* Verbum, oculum Dei, totum animæ, totum animi, totum sui, infans, ultimam creaturarum, totum terræ, totum carnis, totum tui. Improbe amor, quid petis amplius? exinanivit semetipsum, imò transformavit semetipsum, & factus est, si fas est dicere, nova chimæra Dei, (a) quod erat & quod non erat, Argus & cæcus; Argus, ut omnes oculos aperiret in cælo tibi; cæcus, ut omnes oculos clau-

(a) Clemens vocat hominem chimæram Dei.



clauderet in cruce tibi, utrâque natura tuus. Quid deinde? Quid? audi verissimum epiphonema. Aut amans es, aut amens.

§. 5. *Justitia.*

Exhibui sapientem, do *Justum*, do fidelem, do memorem promissi. Haber, habet libellum rationum, ubi Mardochæo suo scripta est merces; & quanta? & pro quantulo? Si rem quæris; cœlum est quod datur: si tempus; Æternitas: si pretium; mica. *Da micam*, inquit, & accipe cœlum. (a) quid dico micam? dic, ut lâtro, verbum: fac, ut Anna, votum; perorabis. Etiam *desiderium pauperum exaudivit Dominus.* (b) Nam si de verbo otioso rationem exigit; èt ille multo magis reddet de non otioso. *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* (c) *reddet unicuiq; juxta opera sua.* (d)

E 5

Ta-

(a) *Chrysologus.* (b) *Psalm. 9.* (c) *Hebr. 6.*  
 (d) *Psalm. 61.*

Talis est, talis gratia Dei tui: & qualis illa mundi, non tui, sed sui; imò nec sui, nec tui? dic, amabo te, per quanta pericula curritur ad majus? quoties amittitur, etiam cum habetur? ægrè quæsitâ, ægrè retenta? & cui bono seu quæsitâ, seu retenta? Hic, hic omnes numerantur capilli: & si capilli; quantò magis capita? & si verba; quantò magis officia? ô incredibilem amoris facem! Habeo certaminis præsidem, habeo agonothesam, à quo coronantur etiam verba; etiam vota. *Et folium, inquit, ejus non defluet. (a)* Folium dicit, non fructum. O te beatum! ô fortunatum agricolam, hæc si bona nôris! ô miserum, si negligis! ô improvidum, si terræ credis, & non Deo! audi querelam: *Protegitur mortalis à mortali; & securitas est: protegitur mortalis ab immortalis, & trepidatio est. (b)*

### §. 6. Bonitas.

Descendo ad primam horum omnium

(a) *Psal. 1.* (b) *Augustinus.*

um causam; nempe naturam *prodigam sui*, tenacem tui. Perdit enim; ut acquirat: perdit se tibi; ut acquirat te sibi, eò collimans, ut hoc ipsum gratiâ simus, quod ille naturâ: felicitate communi, transformatione singulari, qualis explicabitur postea. Hinc nos ille cumulat implétque bonis omnibus, tam sincero charitatis affectu, ut cum nihil speret à nobis, nihil etiam præsupponat in nobis. Est enim hoc discrimen inter Dei nostrumque amorem; quod amor Dei suum ipse fabricet objectum, hic contrà fabricatum integrumque supponat; ille accendat ignem, hic accendatur ab igne, ab accensóque foveatur. Quare non justos modo, sed peccatores etiam, & *ea que non sunt*, ambit: *qui cum inimici*, inquit, *essemus*, prodigos & reduces amplectitur, & fugitivos errantesque paternam revocat ad domum, non semel aut bis, sed *septuagies septies*, hoc est, semper; idque facilitate tantâ, sit ut difficile statuere, uter  
am.

amborum sit profusior, pater an filius. Postremo tanta pro nobis effecit, tantâque passus est, ut, quemadmodum sentit Thomas, existimari possit *homo Dei Deus.*

Hic in isto rursus incumbôque fugienti, hîc inclamo: quis, quid, cui? cogita Deum, cogita reum. Deum, quo, ut audisti, nihil melius; reum, quo, ut nôsti, nihil criminofius. O novum certaminis genus, in quo certant inter se amor & furor! quasi communi ludo, suum trudent uterque follem. & qualem, ô Superi, follem! *Quis sapiens intelliget ista? (a)* Versat hinc furor follem in carne tuâ Deum: versat hinc amor follem in crimine suo reum: ille crucifixum pellit in tartara; iste redivivum tollit in æthera, fit ex Deo reus inter latrones; & vicissim ictu reciproco fit ex reo Deus inter coelites. Quâ id arte? quâ cuncta vertuntur, amore. Quâ machinâ? quâ jam dixi, furore. Amor invênit, fu-

(a) *Michæe 14.*

furor exhibuit: ille poëta, hic actor; tragœdia Deus: tu corona. Proh fides! Ac ne quid fingi putes exaggerative dicendo, audi disputantem apud Oseam (a) amore patrono. Egone, inquit, ut ignoscam? Ego non incendio consumam, quali Sodomam, Adamam, ac Seboim, urbes Pentapoleos? imò disperdam Ephraimum. At id quâ ratione? Est ille meus, est Filii, est filius. *Conversum est in me cor meum; pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ, hoc est, pœnitet decreti; revoco sententiam. Ite, proferte citò stolam, date annulum, occidite vitulum saginatum. Ecce proponit ut hostis, concludit ut pater; subjicitque causam: quoniam Deus ego, & non homo. Imò si taliter Deus; quid ille, cum erit homo? Et quid tu, ô anima mea, cum jam sis Deus? ecquando occurret amor amoris? filia patri? & si vis, sponsa sponso? adultera, cui poma servas? cui te ipsam? cani? dico*

car-

(a) Capite 11.

carni, quæ impudentior cane est? Quid? erit, ut apud Æthiopas, Imperator tibi canis? erit Deus? & eris apud Deum Æthiops Christianus? eris canis? & adhuc pejor: nam amat amantem canis & servat; tu prodis.

§. 7. *Immensitas Dei.*

Hactenus amoris utcumque digessi modum: do nunc *Immensitatem*; tantam in puncto, quantam in toto; nec exclusam, nec inclusam; totam omnibus, totam singulis; distributam non divisam, datam non amissam. Nam neque moveri loco potest immutabilis, neque partiri impartibilis, neque abesse inexterminabilis: cum sit omnium prima natura, sive, ut loquuntur, entelechia, id est, actus primus, *causa causarum, ens entium*, sine quo minus existere valeas, quàm suo sine corpore umbra. Ergo sparsam undique per omnes mundi plagas habeo Dei mentem, non præsentem modò, sed infusam mihi, & magis in me quàm me.

O

O quale calcar intelligenti! Habeo Deum, inquam, non montium, non vallium, non unius anguli larem aut penatem, neque Africanum aut Donatistam, sed, ut ejus fides, verè Catholicum. Quocumque venio, vacat mihi oculo irretorto. Non vallo, non feris, non præfidiis intercludor. Nemo arcet alloqui volentem. Quoties adlubitum est, invado. Hoc fulcrum, hæc vitæ basis. Audit me ubique, & quandocumque; audio ego vicissim ac intueor intuentem. Nemo mihi dicat; *invisibilem non videri, etiam cùm videtur.* (a) Muto dictum; & dico videri, *etiam cùm non videtur.* Omnia mihi Deum loquuntur. Omnia repræsentant. Sentio visitantis illapsum, vocem amantis agnosco. Quid plura? Nemo Deo barbarus, nemo Cimmericus. (b) Aiebat Augustinus offensuro: *Quære locum ubi te non videat; & fac quod vis.* Ego verò amaturus sic edico: *Quære locum, quære tempus, ubi non dico*

(a) Tertullian. (b) Clemens Alex.

dico opera neque verba, sed vel animi reconditissima sensa non notet; & fac quod vis. O novum amoris incrementum! Deo teste, Deo spectante, approbante, applaudente, denique coronante certamus, sub oculis Judicis, Regis, Patris.

Ergo mihi pro minimo est, ut à vobis, ô mortales, judicer, aut ab humano die, (a) non magis, quàm à coaxantibus in limo ranis, aut à concrepantibus in ramo graculis. Est qui judicet in cœlo, conscius mei & meus. Dic mihi tu, si coram Rege miles in aciem descenderes, impendente capiti coronâ; enimvero quónam animi robore, quâ promptitudine, quâ alacritate congrederere? Et tamen ibi præsto esset homo homini, fœnum fœno; gloria enim ejus, ut flos fœni. (b) Hic sub oculis Dei Regis certatur: hic pro coronâ non Dei, non Regis; sed quæ ipsa Deus est: & languemus?

§. 8.

(a) 1. Cor. 4. (b) Isaïæ 40. (c)



§. 8. *Æternitas Dei.*

Postremum, sed et supremum incentivum amoris, *Æternitas*, ratio ultima non Regum, sed *Dei*. Cætera minus sunt minimo; quia quicquid perit ac finem habet, somnium est & umbra: Deus autem est *interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*. (a) Sicut immensitas tota est in puncto; sic æternitas tota est in momento: ita ut æternitas Dei beatis non plus duret quam unum momentum tota, & vicissim momentum æquè duret ac tota æternitas unum; sed de hoc aliàs. Nunc illud vide, quòd cum amor Dei in te sit ab æterno in æternum æternus, ubi reliqui desinunt, hic non incipit quidem, tamen in morte triumphat; ibi vexillum explicans, erigensque trophæum. Hinc animo securitas immensa, & de quo dicere possis: *Optimam partem elegit, quæ non auferetur*. (b) Accedit, quòd ut immensitas omnia

(a) *Boëtius*. (b) *Lucæ 10*.

omnia facit in Deo immensa; sic æternitas omnia exhibet æterna, pulchritudinem, imperium, pōtentiam, & cætera quæ dixi. Clamabam modò: habeo Deum ubique præsentem. Nunc exclamo: habeo amicum omnium horarum, omnium temporum, & utriusque fortunæ; imò fortunam meam majorem, astrum meum, & fatum meum, non Venerem, non Arietem; sed Agnum: habeo amicum non coætaneum modò; sed coæternum mihi, méque illi: Regem, inquam, in Deo sempiternum: amicum, qui omnibus recedentibus non recedet. Patrem, patrimonium, & opes inamissibiles. Habeo sponsum pulcherrimum, nobilissimum, potentissimum; quem teneo, nec dimittam. Quid deinde? quid ultra? *Deus meus & omnia!* Unus & totum: & cum sit ille totum, pars est mea. En ego quod habeo. Tu verò quid, & quàm diu? aurum tuum, opes, amici, deliciae, quid erunt in morte? vermis, ignis, sup-

supplicium tibi. Hæc hereditas è mundo nostra. Itaque non jam ut Æthiopum, sed ut canis Æsopi, sectamur umbras. Et quousquè? nec umbras tantum, sed et ignes, ignesque æternos. O dignam tanto cane, tantisque concursationibus arvinam!

§. 9. *Summa primæ Partis.*

Verum age, subductis tantisper mecum rationibus, ita computum ineamus. Vult Seneca cum amico deliberanda omnia; sed de amico ante omnia. porro deliberare, secundum D. Thomam, est vim pondusque rationum *in diversa librare*. Sta igitur ad trutinam. Ecce duo proponuntur amici nobis: hinc Deus, inde mundus. eligendum est. nam (ut ait S. Augustinus) *detestandi pigri eritis, si nihil amatis: amate, sed quid amatis, videte*. Ac mundus quidem, ut nôsti, totus in maligno positus est; miser ipse, & miserorum pater: Deus autem talis est, qualem audisti modò, solus potens,  
so-

solus misericors, solus immensus, solus æternus. 1. Vidisti pulchritudinem, quæ in stuporem raperet universos, & ipsum etiam amore sui bearet Deum. 2. Vidisti majestatem, Angelis terribilem, supplicem tibi, tuam simul patronam & clientem. 3. Vidisti potentiam, cujus unius præsidio tutus es & felix. 4. Tum sapientiam, oculum Dei, mundi, tuum; totam in usus tuos impensam. 5. Exinde fidem in promissis, quæ & vota præveniat, & infinito superet intervallo. 6. Postremò misericordiam exhorrescendam, & penè monstrosam. Vidisti prodigum filium, & prodigum multò magis patrem, vincere & vinci suo in genere utrumque. 7. Addidi geminam horum omnium sine mensurâ mensuram tempore & loco: esse amicum assiduum loco; 8. Æternum tempore. denique infinito majorem, quàm optare possis; omnia in eo summa, magnitudine, diuturnitate, perfectione. Scribe amori leges  
 quas

quas voles, & quas in hoc stadio potes, & si quas potes. ultra omnium vota Deus est. *Deus*, inquit Augustinus, quem amat omne quod amare potest, sive sciens, sive nesciens, hoc est, ut explicat D. Thomas, appetitu saltè in-nato; quia nihil habet rationem boni appetibilis, nisi secundùm quod participat Dei similitudinem.

Cum ergo Deus omnis boni, mundus ex adverso sit omnis mali fons & caput, estne jam in tantâ rerum dissimilitudine deliberandi locus? nonne fateris, unicuique tantum amoris impendi oportere, quantum habet amabilitatis? hæc enim sese mutuò complectuntur, ut corpus & umbra: respondent activa passivis. Quis fit igitur, ut cum jam non primus, sed solus ab omnibus coli debeat; solus in comparatione omnium sit vilis? quid illi deest, qui non aliunde dicitur Deus, nisi quia nihil illi deest? Sed quid, ô fili, tibi deest, qui unde ames, redundas? nam cetera fortasse nostra non sunt,

sunt, hoc unum est in potestate; cum amare nihil aliud sit, quàm velle. Quare ergo non vis semel, quod semper, omnibusque viribus vis? quare, inquam, non amas & sumè amantem, & sumè amabilem, tu qui amas omnia, etiam somnia? O dilectissime, tu quidem in hoc tempore iudicium feres, qualecumque voles: nemo te prohibet. optio liberrima datur, ut Judæis, ita et tibi, potes Barabbam, potes optare JESUM. sed, oro te, per salutem tuam, in morte quid factum, quid infectum malle? illo tum iudice, illo tum clamante: *Quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.*

(a)

Heu me! queror non amari, cujus nomen ubique, & identidem, & ab omnibus, & à Christianis, non impunè modò laceratur, sed etiam cum laude? O furorem! huccine rerum venimus? tu? Deum? toties? tam diù? quid fecit tibi? quid respondebis illi, cum objiciet olim? quo fugies à

(a) *Micheæ 6.*

furo-

furore non dico leonis, sed agni? sed amici, & talis amici? Næ Chryso-  
stomum non miror amplius, qui hanc in  
judicio putet insectationem Christi  
fore omnibus inferis durio-  
rem. Ergo scito, & vide, quia malum & amarum est  
reliquisse te Dominum Deum tuum. A  
seculo confregisti jugum meum, rupisti  
vincula mea, & dixisti: Non serviam.  
Numquid solitudo factus sum Israëli, aut  
terra serotina? saltè amodo voca me.  
revertere a versatrix Israël, ait Dominus,  
& non avertam faciem meam à vobis:  
quia sanctus ego sum, & non irascar in  
perpetuum. (a)

## PARS II.

*Cogita Dominum.*

**A**T hæc ideò fortasse non pro rei  
gravitate permovent, quòd ab  
oculis remotiora sentiantur mi-  
nùs. Subjiciam igitur ordine propo-  
sito deinceps ea, quæ nemo possit igno-  
rare;

(a) *Jerem. 2. & 3. sparsim.*

rare; nemo non sentire, nisi planè sit stipes, truncóque stupidior ficulneo.

De beneficiis ago secundo loco: quod armorum genus acerrimum semper fuit.

### §. 1. *Creatio.*

Primum esto *Creationis*. Non enim alius auctor à Deo. Ille operis inventor & sculptor; ille condidit, ille formavit, olim in horto, nunc in utero, matre etiam insciã atque incogitante, non umbilico tenus, ut Venustiani volebant, sed, ut Propheta, (a) *totum in circuitu*, hoc est, à capite ad calcem, opere non Phrygio, sed planè divino. Ipse, ipse, inquam, propriis manibus, ingeniique ingenti curã, & *laboranti similis*, (b) mirum! non nisi prævio totius Trinitatis, ut ita dicam, senatus-consulto, (cura enim est, cum dicitur, *Faciamus*) è luto massam in oculos, aures, manus, omnemque corporis formosissimi compagem artifex eximius effin-

(a) *Job 1.0.* (b) *Ambrosius.*



effingit; membra, membranas, artus, articulos, ordine cuncta digerit suo & nostro. Exin spiritum è proprio inhalat *divinæ particulam auræ*: ac ita efformatum humeris, ut sentit Theodoretus, imponit suis, transportâtque in paradisum, primâ omnium coloniâ, novum indigenam, & si adnitatur, novum indigetem mox in cœlo futurum, certè terrarum Dominum atque Regem.

Heu me! quàm multa beneficia in uno, & in unum! specto causam, opus, modum. Omnia sunt divina. nam quid admirer magis? an quòd Deus ipse fingatur? *quicquid enim limus efformabatur, Christus cogitabatur.*

(a) Ergo de luto carnem, de suo animam fecit: uxorem olim Agni, tum sororem Angelorum. addidit dotem, & quasi Sponsæ mundum muliebrem, *Mundum ipsum.* ò qualem, ò quantum! in opifice nobilitatem originis attende, in opificio dignitatem operis,

F

in

(a) *Tertullianus.*

in dote magnificentiam sponſi. Dixit Tertullianus de ſtatua: *Non tanti elephas, quanti Phidias.* Ego vero de homine ſtatua Dei dico: Non tanti lutum, quanti Deus in luto. Hoc Patre gloriamur. Jam de membris tuis quid dicam? quanti ſit unumquodque, intelliges hac ratione. Cogita ſi unoculus eſſes, claudus vel ſurdus, invenireturque medicus atque Alabarches, qui ſenſum ultro reſtitueret amiſſum; id qua tu gratia minor acciperes? Ecce tibi Deus non unum oculum, ſed geminos, & utraſque aures, & omnes ſenſus, & integrum te tibi dedit; non ex morbo reſtitutum, ſed ex nihilo procreatum: non ut commodius vivas; ſed ut ſis, & ut vivas, totum illi debes a quo totum habes, quod es, & quod non es. quis ergo tibi ſenſus in tam multiplici ſenſu viventis, cenſuque poſſidentis? Si beneficium eſt, illud acerbum & impudens foenus, ut Dio loquitur, quod quo minus exigitur, eo plus debetur; ſi cre-  
ſcit

scit secundum rationem dati & accepti; quid habes vitâ melius? quid pretiosius te ipso?

Quòd si in corporis efformatione obstupescis; quid statues de spiritu, quem immortalem indidit, sui tuique capacem, denique Deo simillimum, & velut ex traduce stirpem? ô quale donum!

I, scalam ascende, gradusque, quotquot in elencho categoriæ sunt, pervade universos, à scapo ad scopum, hoc est, à nihilo ad Deum. Aude majora: finge chimæram te ipsum. Finge te, inquam, cum nihil esses, optare ut sis, impetrare à Deo existentiam qualemcunque: primum indefinitam ac transcendentalem entis, *transitu*, ut philosophatur Scotus, *à non esse ad esse infinitum*. En jam opus imensum, & cui sola Dei potentia sit par. Tum descendere te ad accidens, tum ad substantiam; nec hoc gradu contentum, ambire vegetantem, sentientem, & ad extremum intelligentem. Irete

igitur transmigracione mirificâ, à nihilo ad aliquid, à lapide ad plantam, à plantâ ad belluam, ab hac ad hominem, & ad Deum: enim vero hîc animo consistens, hîc oculos auctori recludens, an non ita diceres? Ego uno antè momento nihil, lutum, lapis, truncus, nunc sentio, nunc in hominem erectus solo Deo minor sum, astrorum, cœli, terræque Dominus. Elementa mea sunt. Currit mihi mundus, domus & supellex mea. Currit et ipse Deus. (a) O mirabiles dicamne Dei de me curas, an mei de Deo curas! utrumque summum est, & quod à Deo, & quod in Deo; sed utrumque summum debitum est principio & fini. nam cui sua feritur arbor? cui plantatur? numquid non agricolæ? *Omne opus servum est*, inquit Chrysostomus. Ergo cum opus Dei simus, cur alium quærimus cui serviamus? cur beneficia Dei facimus tela  
fu-

(a) θεός ἀπὸ τῆς θεοῦ, id est, currere, Plato.

furoris nostri? ingrati! de Deo vivimus contra Deum? *hi nostri reditus, expectati que triumphi?* absit, absit; ego Deo reddo Deum, cuius sum imago; ego Deo reddo me ipsum, cuius sum opus, quid enim tam Dei, quam opus & imago Dei?

### §. 2. *Conservatio.*

Tamen adhuc in limine versor, exordiôque rerum. Prima creatio momento vertitur; at *Conservatio*, æterna creatio est; de quâ semper dicere possis, ut de Verbo: *In principio erat.* Hoc discrimine, quod Verbum semper nascens, semper sit absolutum; tu tuo ab artifice nunquam. Tu opus imperfectum, & ut loquuntur, *nunquam in facto esse, in fieri semper*: denique non tam res, quam modus rei; vel potius Dei, à quo funditus æternumque, ut cetera, pendes. *Non enim fecit, & abiit.* (a)

Meditare itaque, te toties edi, par-

F. 3

tu-

(a) *Augustinus.*

turiri, in lucem repræsentari, quoties respiras; habere te tot personæ tuæ natalitia, quot vitæ momenta. Imò te in horam singulisque momentis nasci simul & mori; nasci in Deo, *continuâ restoratione membrorum*; mori in te ipso, *perpetuâ vicissitudine temporum*. Item contemplator ejusdem oculum ac præpotentem manum, ad omnia vitæ tuæ subsidia, nullo non loco vel tempore intentam, obrepere in artes ususque rerum, ac operibus immixtam suis, cælo terrâque, ac quaquaversum, occultâ vi collaborare tibi, concurrere in opus, inque motum; ac postremo tecum & cum universis hinc inde causis usque conniti, vel colorandis floribus, vel maturandis frugibus, vel etiam condiendis cibis: te proinde ab eâdem ali, moveri, portari, moveri, tanquam à principali præcipuâque causâ, cum cetera, tûque imprimis, non sis aliud, quàm *instrumentum tui*. Ex quo Deus non solum sit primus omnium coquus, promus condus,

dus, agricola, vinitorque tuus; sed etiam primus omnium cibus, ac cibi vini que primus sapor, uno verbo VITA VITÆ. Non enim tantum aleris à Deo, sed etiam Deo.

Hoc autem quale quantumque sit, quis edisserat? à magnis magna omnia; vel si florem ac pilum unum dedisset, erat hoc donum donantis dignitate summum. Audi Prophetam: *Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos?* Ecce non oculos solum aperit & tuos, & suos; sed totum te & totum se explicat tibi tantus Rex, tantusque famulus, & ex tanto. Verè *servus servorum*. Quid dico autem? verè servus hostium suorum, *qui Solem suum facit oriri* etiam super malos: qui non, ut Job tantum, oculus cæco, pes claudo, debili manus; sed, quod monstro simile est, pes etiam currenti in vindictam, oculus impudico, lingua blasphemus. Nam sicuti sine Deo Deus coli nequit; ita nequè sine Deo Deus offendi: & ille quidem libertati

tuæ serviens & in utrumque paratus  
 mavult se lædi, quàm te, bonus bono  
 tuo & bene; at tu deteriora secutus,  
 malo tuo malus & malè in transversa  
 ruis. Et quousque tandem, ô mortali-  
 um ingratiſſime? Unde vel tantum  
 amoris in Domino, vel tantum furo-  
 ris in ſervo? nōne (ſi fas ita loqui de  
 Deo) uterque monſtrum eſt, ille cle-  
 mentia, tu nequitia? Proh ſcelus!  
 etiam abúteris Deo, ſacrilegióque vel  
 invitum & reluctantem imiſces tuo.  
 Quo fine miſer, aut quâ ſpe? ſed ut-  
 cumque tibi cadat, ego meam in rem  
 intentus, alterum è duobus optan-  
 dum à Deo reor, aut ut amorem ad-  
 augeat meum, aut ut amorem dimi-  
 nuat ſuum.

§. 3. *Finis.*

Haſtenus de principio, nunc de *Fi-*  
*ne* dicendum eſt: quæ ſi non eſt alia  
 quàm hæc vita murium atque muſca-  
 rum; de tot elatis in hoc orbe monti-  
 bus idem pronuntio quod olim: *Par-*

*tu-*



*turient montes: nascetur ridiculus mus.*  
 Verum aspirante Deo primis postrema  
 respondent. *Finis, inquit, ut sit Deus  
 omnia in omnibus.* Nempe summi bo-  
 ni possessione tantâ, fiat ut homo  
 quodammodo Deus. Nam & utri-  
 que par imperium est in cœlo, eâdem  
 beatitudo, & ut inter amicos, *omnia  
 communia.* Denique uti Deus regnat  
 hic in nobis; ita nos illic in Deo. *Fecit  
 nos Deo nostro regnum, & regnabimus.*  
 En quousque sese exporrigit amor!  
 Hic sine fine finis. *Animi enim finis,*  
 ut Marsilius sanxit, *infinitum est.*

Ergo Rex ille summus de pulvere  
 erigens pauperem in palatium abducit  
 suum: ibi regio instructum apparatus  
 fovet nutritque; ibi heredem instituit  
 ex asse, capiti que coronam imponit.  
 quam? seipsum. divisum imperium  
 cum Deo servus habet. Proh Superi!  
 quis audivit unquam talia? egone li-  
 mosus ille, prodigus ille, ad siliquas  
 hodie damnatus, cras in solio Dei, par  
 Angelis, par ipsi Deo? heu me! non

plus ultra. *Neque enim in cor hominis ascendit id omne, quod præparavit Deus diligentibus se.* At nos miseri tanto patrimonio dignati, in filiquas adhuc porcorum vigiles ac proni incumbimus; atque, ut ille prophanus Esau, primogenita vendimus *lente* nos quidem, at non *lenti*. Ruimus enim præcipites in vitium ac planè effrænes.

Verum age tu mecum aut tecum in hanc rem tantisper disputa. Responde mihi, quæ norma vitæ, quæ mensura rerum est? nõnne finis? certè finis omnium caput est, & ut posthumer effectum, (verba sunt Tertulliani) *ordine tamen anticipat*; quem propterea vocat Philosophus *causam causarum*. Ergo collimare ac quodammo-  
do vérgere illuc omnia necesse est; cum sit scopus. Jam verò de Deone dubitas an sit finis necne? At id te omnia docent. Docet erecta cælo facies atque sublimis. Docet immortalitas animæ tuæ; spes & metus. Docet instabilitas quoque cordis tui, atque in

cæteris omnibus rebus anxix mentis inquietudo jugis ac inolita. Docet id demum ratio atque fides, lex atque oracula Prophetarum. Id ipsum est mundus. Eunt enim in orbem universa, & illuc desinunt, ubi cœpere. *Idem est etiam finis, ut vult Philosophus, operis & operantis.*

Ille igitur alpha & omega; ille finis qui est principium. Atqui in finem nituntur omnia; ergo in Deum qui finis est. *Hoc est omnis homo; & sine hoc, inquit Bernardus, nullus est homo.* Quoniam igitur in avia præceps amensque ruis, o mortalis? Ubi portus? ubi tibi quies nisi in Deo? cui denique feris? Ecce si Deum amas, Deus es; si terram, terra. Proponitur hinc cæli corona, inde terrarum; tu medius. Opta, curre, ambi. Alterutrum conceditur. Imò utrumque, si Dei es. *Utroque Rex & Cæsar, & cælo & solo.* Quid amplius desideras? habes aliquid melius Deo, aut carius teipso? nondum rem exegi. Ecce medius es inter coronam &

& gehennam. Æternitas utrobique. Ibi vita sempiterna, hîc mors. Opta-  
 rursum, curre, ambi. Alterum finis  
 est, alterum præcipitium: cui te vo-  
 ves? cui mundum? nam èt mundus,  
 ut tu, totus est Dei; quem si suo fini  
 refers, vivis, ut in templo Dei, præsul  
 antistésque totius mundi. *Orbem ter-  
 rarum in podère* repræsentas. (a) Sin al-  
 teri usurpas invito domino, fur es &  
 prædo. Quanto peculatu? numera-  
 res omnes, & computum inibis. Infeli-  
 cissime, *quid dices cùm visitaverit te*  
 Dominus? (b) Si de verbo otioso ra-  
 tio reddenda est, proh qualem reddi-  
 turus es de mundo non otioso tan-  
 tum, sed injustè, sed sacrilegè usurpa-  
 to? Væ, væ tibi, væ èt mihi, nisi Deo  
 vivimus. Intellego nunc cur dictum  
 sit: *Pugnabit orbis terrarum contra in-  
 sensatos; (b) & rursum: (c) Creatura*  
*ingemiscit, & parturit usque adhuc.* Quid  
 parturit? vindicias actionémque de  
 repe-

(a) Sap. 18. (b) Jerem. 13. (c) Sap. 5.  
 (d) Rom. 8.

*repetundis*. Nunc quidem clamare non audet *vanitati subjecta non volens*; ingemiscit tamen expectans tempus illud *restitutionis omnium*. O tempus! ô restitutionem, sed seram, & ex quâ sequitur destitutio omnium!

#### §. 4. *Incarnatio.*

Finem media consequuntur, majora fine. Aureo enim, ut ajunt, piscatus est hamo. Oppigneravit pro servo filium, pro extraneo seipsum, plus dedit quàm promisit. In sumâ, ut homo fieret Deus, miraculo longè majore factus est Deus homo. Miscentur itaque ima summis. *Magus in terra cœlum videt, in cœlo terram; hominem in Deo, in homine Deum.* (a) Fit eadem & virgo & mater; idem & creator & creatura, causa sui ipsius. Denique *cogit se in infantem Deus,* (b) in servum Dominus, in reum Judex: principium habet in tempore æternus, finem infinitus, mortem immortalis,  
mo-

(a) *Chrysologus.* (b) *S. Zeno.*

modum imēsus, membra mea, miseriam meam misericors Deus. *Dum medium, inquit, silentium tenerent omnia,* nimirum præ tanti stupore sacramenti, *omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit.* Qualis autem & unde? & quò? à præsepi ad crucem. O fides! ô amor! ô furor! uter insanit? Deus an reus? uterque: & Deus & reus; sed Deus magis. *Stultum tamen hoc Dei sapientius omnibus hominibus, ratagama est.* Vincimus Imperatoris morte. Tibi nascitur, tibi moritur, tibi resurgit, tibi triumphatis hostibus victor in cœlum ascendit. Quid dicam amplius? hoc uno omnia tua sunt, & Angeli, & Deus ipse; & quod caput est, tu tuus, tu Dei. Postremò tale beneficium est, ut in comparatione cætera non parva, sed nulla sint. *Mons igneus, & major incomparabiliter, quàm si totus mundus arderet.* (a) Et tu, ô Christiane, novus rubus tanto ab igne non ardes? O salamandram! ô viperam!

(a) *Guilielm. Paris.*

ram! ille vagiens in cunis, ille pendens  
Virginis ab ulnis, pannis obligatur tu-  
is. Quid dico? membris obligatur tu-  
is, & jam suis. Quid iterum dico? ille  
pendens crucis ab ulmo, non pannis  
sed pœnis obligatur tuis, & jam suis;  
clavis affigitur, spinis coronatur, fla-  
gellis occiditur, sputis conspuitur, op-  
probrium hominum & abjectio plebis: &  
tu myrto redimitus & rosâ, opobalsa-  
mum spiras? ille è tanto rege pastor, è  
tanto pastore agnus, nascitur in stabu-  
lo, moritur in patibulo; & tu pastori  
tigris, agno lupus occurris in mundo?  
O miserum te, ô detestandum, si nihil  
amas! ô detestabiliorem multò magis,  
si quid præter Deum amas, tot modis,  
tantòque merito tuum! Amice, ad  
quid venisti? non dico in hortum, sed  
in hunc mundum? & si tu nescis fi-  
nem tuum; pete finem Dei. ad quid  
amicus venit? ut viveret, ut morere-  
tur tibi; & tu vivis, tu móreris alteri.  
Tu Christianus? tu frater? tu filius?  
O monstrum è monstro! sed ô anti-  
do.

dotum è veneno! sic, sic serpentem  
serpente curamus, dum horrori est.

§. 5. *Justificatio.*

Illic è fonte flumen immensum in  
quatuor orbis partes undique mana-  
vit, atque uti pro incolumitate corpo-  
ris creationi conservatio, ita pro salu-  
te animæ redemptioni *Justificatio* re-  
spondet. Quotidiè nascitur Deus, non  
jam in Virgine, sed in adulterâ quoque.  
Hic supremus admirandæ transfor-  
mationis apex, ut non de homine tan-  
tùm fiat Deus; sed de peccatore etiam,  
*mutatione omnium maximâ*, ut ait  
Theodoretus. Ibi enim Deus factus  
est reus; hic contrâ reus factus est De-  
us. Ibi semel duntaxat, & in uno;  
hic quotidie & in omnibus. Ibi gratia  
sanguine stetit & morte; hic tribus  
syllabis. *Tres enim sunt syllabæ, PECCAVI.*  
(a) *Ecce, inquit Augustinus, cùm loquor,*  
*muta cor, & factum est quod tam sæpè &*  
*tam diù clamatur ut fiat, & quod æter-*  
*nam*

(a) *Ambrosius.*



nam parturit pœnam nisi fiat. Hæ sunt a-  
 mantissimi Salvatoris artes; hoc salu-  
 tis nostræ compendium, & ut regius  
 appellat Vates, *medicamentum medica-  
 tum*. Non circumciditur infans, non  
 cruentatur, non ad valvas templi, five  
 secreto domûs, intestabilis atque ex-  
 communicata mater ab omnium con-  
 sortio abstinet spatio quadraginta die-  
 rum. Unâ sacri fontis guttulâ, unâ  
 pœnitentis animi lacrymulâ litatur.  
 Momento turbinis exit virgo fide Chri-  
 sti, qui fuerat adulter corruptione peccati.  
 (a) Perit salvo reo reatus. (b) Fit ite-  
 rum terra cœlum. Denuo in virgi-  
 nem reparatus non meminit quod fu-  
 it, & redi vivâ nativitate infantie scele-  
 ratus innocentiam refert, (c) non Me-  
 dex, non medicæ potentibus herbis,  
 aut malagmate, sed unico Dei verbo  
 quo sanamur. O merita Christi! O  
 vitæ portenta nostræ! Hic mihi du-  
 plex rursus oboritur stupor, & de  
 misericordiâ tantâ Dei, & de miseriâ  
 tantâ nostrâ.

Ec-

(a) Ambros. (b) Zeno. (c) Ambros.

Ecce piscina non Hierosolymis, sed ubique: non in qua sanetur unus, sed ubi sanantur omnes, à quacunque infirmitate: non Angelo descendente, sed Spiritu sancto, qui ( ut habet Paulinus in carmine) *sacras igne divino maritat aquas.* Et tamen ad labrum fontis jacet adhuc *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* (a) Unde hoc? unde tantum infirmitatis in tanto remedio? O verè paralyticos, quibus deest homo, hoc est, ratio, & fides! nam si vel crederent, vel saperent, id ita fieret? Negligeretur salus, tantâ securitate, tantâ felicitate parta? tribus syllabis? numquid non est verbum, *Peccavi?* Clamo igitur tibi, non ut ille, (b) *Pater;* sed, ut solitus sum, *fili, & si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras; quantò magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?*

§. 6. *Eucharistia.*

Dixi quotidie nasci Deum; addo quo-

(a) *Ioan. 5.* (b) *4. Reg. 5.*

quotidie mori, quotidie crucifigi in  
*Altari*, sacrificio licet incruento. *Ono-*  
*vitatum novitas!* *ô miraculorum omnium*  
*longè maximum!* exclamant Eusebius  
 & Thomas. Quæ quibus anteferam?  
 unde inchoabo? ubi desinam? quis,  
 quid, cui? Idem sacerdos & victima,  
 amor utrumque. Ipse, ipse immolat  
 & immolatur; atque, ut Arabiae feli-  
 cis ales, inter suos emoritur & revivi-  
 scit ignes, pater & filius sui, mortêque  
 suâ immortalis. Sacrificatur ergò Deo  
 Deus: immolatur & vivit, consumi-  
 tur & perseverat; *in manibus sacerdo-*  
*tum incarnatur*, (a) & est invisibilis.  
 Crescit undique mysterium, loco,  
 tempore, modo, facilitate, meritis, &  
 personis. Altare, novum est præsepe;  
 & quælibet Ecclesia, Mater est Dei in  
 omni loco. *MARIAM imitatur*, *Virgo*  
*est, & parit*, (b) Diluvium ex diluvio  
 putes, sed gratiæ. *Ubi enim abundavit*  
*delictum, superabundavit et gratia*. (c)

Tu pastorem arbitrator omnes ex-  
 se-

(a) *August.* (b) *Idem.* (c) *Rom. 5.*

secuisse corporis sui venas, omnem-  
 que in subjectum ulceri calicem effu-  
 disse sanguinem, atque inde parasse  
 balneum, quod oviculæ centesimæ, à  
 faucibus lupi modò ereptæ, modò in  
 caulam humeris reportatæ, & adhuc  
 stillanti, peridoneum sit abluendæ, sa-  
 nandæ, atque ab inferis in vitam revo-  
 candæ. Ad hæc illam rationis consili-  
 ique compotem effectam, admirari  
 factum, inquirere de causâ; & cum  
 nullam inveniat, obstupescere mon-  
 stro tantæ dilectionis. Ita te quoque  
 (nam de illâ fictio est, de te veritas) in  
 admirationem rapi oportet, excedere  
 mente in Deum, ingemiscere, incla-  
 mare: Eheu, charitas Christi immen-  
 sa, quónam usque descendis? quid?  
 etiámne de cibo salus? de membris tu-  
 is cibus? de sanguine potus? quid hoc  
 esse dicam? intelligo, intelligo egregi-  
 um amoris tui commentum, artem  
 dignam Deo. *Illusionem nequissimi ne-  
 bulonis, cum dixit: Eritis sicut Dii, in  
 verum effectum arbor vitæ vera conver-  
 tis.*

tis. (a) Denique Deos tui sanguinis  
commixtione facis. O peritiam! o  
summam summæ charitatis industri-  
am! Non miror, non miror dici in  
hoc convivio parata esse omnia, cum  
non nisi ferculum sit unum; habet  
quippe omnia qui habet te. Miror hîc  
duo. Primum te sic ardentem, dein-  
de me sic algentem. Amor enim hîc  
non amplius arcu telisque decertat do-  
nis suis, sed seipso: intus, intus ipse  
cor invadit, penetrat, transverberat,  
ac demum totum in sese alimenti na-  
tivâ virtute transfundit; ut ego vul-  
nus alens venis, cæcôque carptus ab  
igne illo, (si dignum est dici) ceu quo-  
dam amoris *philtro*, ac beatifico vene-  
no, colliquefierem. Nihilo secius (en-  
alterum quod admiror triste ac ferale  
prodigium) ego tot inter incendia fri-  
gidus ac sine sanguine anguis aman-  
tem inanissimâ vanitate deludo. Ad-  
huc in ore resonat antiquum illud ac  
nimis odiosum acroama: *Anima no-  
stra*

(a) *Rupertus.*

*stra nauseat super cibo isto levissimo (a)*  
 Et sapias, anime, cui non sapit DEUS?  
 crudelis! aliânè præfers, porros, &  
 cæpe? arbori vitæ pomûmne mortis?  
 ô serpentem! ô voluntatem sibi sem-  
 per, etiam cùm amica est, inimicam!  
 Placet vita, Mors eligitur. Et cùm di-  
 ctum sit: *Qui manducat me, non morie-*  
*tur in æternum*; nos ab hac abstinemus  
 mensâ, ne non moriamur in æter-  
 num.

§. 7. *Prædestinatio ad glo-*  
*riam.*

Supremam his omnibus coronidem  
 imponit *Prædestinatio* ad gloriam, &  
 quæ ex illâ sequitur, ad gratiam. De  
 prima primùm, tum de secundâ.

Ac illam quidem sic animo com-  
 plectere: benevolentiam erga te Dei  
 infinitam, quâ tibi *secundùm p̄ opositum*  
*voluntatis suæ* gloriam ante sæcula de-  
 crevit ab æterno, inque æternum, a-  
 more summo, perpetuo, singulari,  
 gra-

(a) Numer. 21.

gratuito, incommutabili : antequam  
boni quicquam egisses ; imò cum jam  
ingratissimus appareres. Quid hîc di-  
ces ? cur te ? cur tibi ? cur tanta ? quid  
enim fuit causæ ? meritane tua, quæ  
nulla erant ? quæ mala erant ? an pa-  
rentum ? qui et ipsi infideles electi  
sunt ? spes fortè futuri ? atqui Tyrus &  
Sidon, ut est in Evangelio, melior &  
promptior relicta est. Vis audire quid ?  
*Parasti cibum illorum ; quoniam ita est  
præparatio tua. Parasti : non quia se pa-  
raverunt ; sed quoniam ita est præparatio  
tua. (a)* En meritum electi, voluntas  
eligentis. Nam, ut ait egregiè Hiero-  
nymus, *ipsum quod nostrum est, sine mi-  
sericordiâ Dei nostrum non est.*

Ergo singula perpende, compre-  
hende universa. De summâ rei agitur,  
de pondere gloriæ immenso atque æ-  
terno, de felicitate Dei & tuâ. Benefi-  
cium est re summum, origine pri-  
mum, antiquitate æternum, magnitu-  
dine infinitum, delectu singulare, gra-  
tiâ

(a) Augustin.

tiâ & gratiæ totum. Dedit immerenti, dedit inimico, dedit prior, cum odisses, cum persecutor esses Ecclesiæ & Christi, cum denique peccatorum aut jam primus, aut mox futurus; tum, inquam, tum scripsit in libro vitæ digito suo; itaque scripsit, ut nemo deleat, nemo expungat. *Horum enim si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus. (a)*

En te igitur in cœlo jam beatum, tot pereuntibus, tot jam perditis de natione, de genere, de familiâ, de sanguine tuo; tu fortè perditissimus omnium, perditionis à massâ segregatus unus. O donum super omne donum! Egone? tot inter ignominiaë vasa vas in honorem? quo merito? nullo. Cujus beneficio? Dei. Amor inchoavit, amor perfecit, amor ubique & amor semper; & nunquam amo, & nusquam amo: cumque in physicis invicem respondeant ista duo sibi, *actio & passio*; hic pro novo monstro  
pas.

(a) *Augustinus.*



passivum est æternum, activum ne momentaneum quidem. Et unde hæc tibi sterilitas tanta, cor infelix? proverbium est, si vis amari, ama. Ecce amor in te Dei antiquus dierum jam est in canis, & tuus nondum in cunis, unde hoc?

§. 8. *Prædestinatio ad gratiam.*

Scopum attigisti: nunc ad eum consequendum tela, nunc *telam* ordine *Prædestinationis*, *funiculum hereditatis* tuæ, de gratiâ gratiam, & quantam, ô Superi, quâmq̃ multiplicem! hic prima fides, primûmq̃ Dei donum: *datur enim sine merito unicuique, unde tendat ad meritum.* (a) Hic indoles, educatio, anima bona, & ipsa forte, hoc est, voluntate Dei donoque accepta. *Quia voluit, non quia digni sumus, hæc est sors.* (b) Hic amantissima nostri Mater Dei, *peccatorum*, ut vocant Patres, *esca*; seu *hamus Dei*, & , ut Augustinus, *muscipula per quam salvatur*

G *omnis*

(a) Ambros. (b) Augustin.

*omnis creatura.* Hic Angeli, quibus  
*mandavit de te, ut custodiant te in omni-*  
*bus viis tuis.* Angeli, inquam, & de cœ-  
 lo præpetes, tum à Deo ad nos, tum à  
 nobis ad Deum ultro citròque com-  
 meantes indefesso labore; & de terrâ  
 vigiles, Apostoli, nuntii, *cursores magni*  
*Regis:* nimirum parentes, magistri,  
 prælati; quorum hoc unum omnium  
 negotium est, salus tua. Hic non Pau-  
 lus solum omnibus omnia factus; sed  
 ipse etiam Christus, *venator,* ut Cle-  
 mens appellat, *animarum.* Ille ad Sa-  
 maritanæ pedes aridis sitiens faucibus,  
 & anhelus, & precans, & procans, *no-*  
*etium etiam guttis & cœli rore* perfusus,  
 quoties ad amicæ, dico animæ tuæ,  
 fores inclamat? *Aperi mihi, soror mea!*  
 Quantis, inquam, clamoribus agit in-  
 tus & foris? modò sævus, modò  
 blandiens. Quot modis invadit? quot  
 mediis? quot minis? Nôsti vias. Vo-  
 cem ejus audisti per *cancellos;* & quo-  
 ties? non lacrymis, non suspiriis, non  
 sanguini parcit suo: denique omnia  
 sese

*De Amore*

fese mutat amor in miracula rerum,  
hospes, inquilinus, hortulanus, philo-  
sophus, rhetor, ARGUS *simul* & PRO-  
TEUS tibi. Nec destitit unquam, do-  
nec errantem ovem gremio referret  
& Patris, & suo: observans mollia  
fandi tempora, & locum, & opportu-  
nitatem, sic, ut voluntati gratia con-  
grueret, gratiæque voluntas, nullo in-  
terim libertatis tuæ detrimento, *forti-  
ter & suaviter*. Quid plura? hoc u-  
num omnibus retro sæculis egit; *hæc  
summa voluntatum*, (a) hic cardo cœ-  
li & terræ, hic apex felicitatis ejus, hic  
apud Angelos triumphus: & cum *ne-  
mo aliorum sensu miser sit*, (b) solâ ta-  
men ille Deus felicitate tuâ felix est.  
O vim amoris inexcogitabilem! ubi  
sum? quid, cui clamo? Ille si interro-  
getur; *Quare sic attenuaris macie, fili Rê-  
gis, per singulos dies?* (c) non aliud re-  
spondebit, nisi illud unum, *amo*. Ego si  
roger causam morbi mei, quam pos-  
sum afferre tandem, nisi hanc unam?

G 2

Non

(a) Tertullian. (b) Salvian. (c) 2. Reg. 13.

*Non amo.* Itaque nos comparat pœna,  
 separat causa. Laboramus uterque;  
 sed ille amoris excessu, ego defectu.  
 Et ille quidem irascitur obsistitque  
 morbo meo quantum potest; ego  
 medico meo etiam ultra vires. O ani-  
 ma mea, quam diu, & quo fructu! Si  
 tibi non placet ut medicus; placeat  
 ut ægrotus. Febrim febris curet, defe-  
 ctum excessus, ætiumque languorem.  
 Nam contrariis contraria curantur.  
 Denique si convalescere ex integro  
 non potes, muta morbum, *ama.*

*Summa secunda partis.*

Quin age collige mecum omnia.  
 Beneficiarius es Dei à capite ad cal-  
 cem, à fine ad finem, hoc est, ab ex-  
 tremis inferis ad supremum usque cœ-  
 li verticem. 1. Creatione. 2. Con-  
 servatione. 3. Fine. 4. Redemptione.  
 5. Justificatione. 6. Eucharistiâ. 7. Præ-  
 destinatione tum ad gloriam. 8. Tum  
 ad gratiam. Nihil excepit, nihil nega-  
 vit.

Jam

Jam si lex ea sit, ut sæpè diximus, in reddendâ gratiarum actione, ut quo plus acceperis, plus etiam exigaris: (crescentibus enim donis, crescit et acceptorum ratio; *intra pecuniam*, ut ajebat Seneca, *fit taxatio*.) enimverò quàm immensum æs alienum apud Deum contraxeris, quot ei nominibus obstrictus evaseris, opinor ex antè dictis intelligis, aut saltè conjicis. Ille te ipsum, ille seipsum, totum utrumque, totum tibi, totum sibi dedit, initio & fine, destinatione & prædestinatione, creando, conservando, redimendo, infinitis modis, & infinities, & à summâ miserîâ ad summam, imensam, æternam, infinitamque beatitudinem, non proprio commodo ductus, aut spe ullâ, sed solo amore tui. Vidisti medicum, vidisti ægrotum, te & illum, sanantem & laborantem; & nunc adhuc sentis in medio cordis tui medullitus infusum, ac etiamnum *gemitibus inenarrabilibus postulante spiritu suo*. Ad hæc omnia

quâ tu fronte, quo sis animo cupio  
 scire, nã, si ferreus esses, aut è mar-  
 pesiã caute prognatus inter hircanas  
 tigres, immotum te aut inexpugnabi-  
 lem inter tot amoris tantãque tela  
 haud unquam sperem. Audin', ô fili,  
 non exprobrantem illum quidem, (ab-  
 sit ab amore) sed exostulantem, ami-  
 cè tamen in hæc verba; *Quid potui fa-  
 cere vineæ meæ, & non feci?* Cum dicit  
 id, ostendit beneficia sua esse supra  
 tua. Quasi diceret: Habes ali-  
 quid quod ultra petas? si quid est, ex-  
 prome, ediffere. Addam beneficiis  
 meis, & futuris præterita vincam; &  
*si parva sunt ista, adjiciam tibi multò ma-  
 jora.* (a) Sic ille olim cum Davide, &  
 nunc tecum. At tu nõnne cum eo-  
 dem aut cum prodigo supplex ad pe-  
 des genuãque procumbes? vociferans  
 ex totis animi viribus: *Pater, peccavi,  
 peccavi in cælum & coram te.* Jam non  
 sum dignus, imò tantò magis dignus  
 amore tuo, quantò magis indignus,  
 qui

(a) 2. Reg. 12.

qui venisti quærere & saluum facere  
quod perierat. Et quid dicam? aut quã  
ratione satisfaciam non jam tibi, sed  
vel mihi? Enimvero ruit, ruit in am-  
plexus, in oscula pedum tuorum ani-  
ma mea, famosa in urbe peccatrix, ru-  
it immenso sui pudore suffusa; sed èt  
immenso tui simul amore perfusa.  
Amat, & odit; ardet, & horret. Hor-  
ret se, ardet te, inde diligens, urde di-  
lecta; ibi reviviscens, ubi consepulta:  
triumphi nimirum imitatrix tua.  
Ascendit enim super occasum, & mor-  
te triumphat, ut tu, sua.

PARS III.

*Cogita Patrem.*

SUPEREST è tribus unum appenden-  
dum tibi. De Deo, de Domino di-  
ctum est; nunc vindicem hæreditatis  
æternæ *cogita Patrem.* Nam cum in  
rebus humanis, ut Salviani verbis utar,  
*omnia spebus agantur;* nihil aut parum  
admodum effectum est, nisi avarissi-

mum semperque sitientem hominis animum spe & abducamus à malo, & ducamus ad bonum.

Porro octo sunt omnino quæ sperare possis à Patre. 1. Vita justī bona & beata. 2. Mors Sanctōrum. 3. Favor extremi iudicii. 4. Carnis gloria redivivæ. 5. Quies animæ cœlo receptæ, & triumphus. 6. Tum beatificum lumen. 7. Inde amoris incendium & nuptiæ cum Deo. 8. Postrema æternitas non jam Dei, sed nostra. Quæ qualia sint, explicare nos oportet.

### §. 1. *Vita bona.*

Vita justī, totius ædificiī fundamentum est & caput: tot insignis triumphis, quot penè momentis. Cū enim nulla sit victoria major quàm sui ipsius; aliunde cū habeat semper unde se vincat animo vel corpore, hinc fit, ut homo justus ex tanto triumphet, ex quanto vivit, manubiis omnimomento imperatoris. Audi Apo-



Apostolum: (a) *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Pondera hoc pondus, cui ex unâ parte addicitur immensitas, ex altera æternitas; utraque gloriæ, utraque momento parta, & in nobis. Cor aurifodina est, aurum Deus, officina leve tribulationis, & momentum.

Quæris, unde? respondeo, ex eo, quòd sis filius Dei; quod agaris biritu ejus inhabitante in nobis, per quem & vivis & vincis. Ab illo enim habes ut vincas, à quo habes ut vivas. Ergo victoria tua, victoria Dei est, qui triumphat te in te. Ergo immenso, æterno, Deo denique digna. Ut enim victoria regis, digna regno est: ita Dei, Deo. Id in Christo vides, cujus meritum sic increvit ex dignitate personæ, nihil ut esset in eo non immensum. Quid ita? quia filius Dei. En meriti fons, en origo. Atqui tu quoque Dei filius & nominaris, & verè es.

G 5

Er-

(a) 2. Cor. 4.

Ergò èt merito suppar, & cohæres. Hinc vulneratur cor sponsi *in uno oculorum, & in uno crine*, hoc est, in illo levi & momentaneo Apostoli. Hinc *folium ejus non defluet*, id est, ut jam explicui, etiam verbum, etiam votum ac desiderium. Ut exemplo patet gnavi latronis, qui totam verbo uno prædatis est æternitatem. Jam si in verbo tantum lucri; quid in officio? Si tale momentum est; quid hora? dies! mensis & annus? Quid totius vitæ *mensura bona, meritis conferta, coactitata, & supereffluens, quam dabunt in sinum?* crescere enim merces, distribuique juxta merita debet. Ubi par igitur usura non centesimæ, non in centuplum; sed in immensum inque æternum trajectitio, ut ait Augustinus, apud Deum fœnore quotidie crescens? *Da micam*, inquit Chrysológus, *& accipe cælum*. Denique *toties coronaberis, quoties restiteris*, (a) novo in dies incremento & patrimonii, & coro-

(a) Bernardus.

coronæ. Ut enim hæreditas filio, ita certanti corona debetur; non una, sed, ut pancratiastræ, multiplex: prout enim quisque seminaverit, sic èt metet. Talis est vita iusti; quæ, ut vides, ditius, opimius, beatius sub cœlo nihil. Theatrum ille sibi, perennisque & felicitas & triumphus: palma, quæ non solum annos, sed èt momenta victoriis notat.

Compara jam virum viro, vitam vitæ, dico malam bonæ: illam, ubi *infelix lolium, & steriles dominantur avenæ*; huic, segete plenæ aureâ, ubi *later Ægyptius cœlestem mutatur in sapphirum*. (a) Illam, perenni falo jactatam, quæ tota naufragium sit, huic, in portu quietæ, ubi *serenum semper*. (b) Illam, perditissimam, & ut ita dicam, *occisissimam*; (c) huic, arti omnium quæstuosissimæ. Quòd si spe ducimur atque commodo nostro, nonne exclamare nobis hîc licet: Adam, ubi es? ubi cupiditas, inquam, illa, quæ te

G 6

am-

(a) Lyranus. (b) Seneca. (c) Chrysofost.

ambitūs reum fecit? væ, væ tibi, mercatrix ærumnosissima, quò curris, quò non curris, ut diteſcas? en, in manibus mediòque tui nobiliffimum totius orbis empòdium: forum es ipſa tibi; & quid dico forum? cùm regnum intra te fit, & regnum cœlorum, quod tanti valet quanti tu. Miſera! credis hoc? ſi non credis, cui credis? ſi credis, cui operam locas? mundo an Deo? mundo qui ſe perdit & te? Deo qui te ſervat & ſe? te ſibi, ſe tibi? Hic, hic ſere, cœlum ara, Deum ama, quo ſolo dives es.

### §. 2. *Mors pretioſa.*

Vitam bonam ſequitur mors in Domino longè pretioſior. Ibi enim præluditur æternitati: hìc concluditur. Quare Chriſtiani non prima, ſed tota philoſophia eſt, cujus ab uno momento pendet æternitas. Ac cetera quidem utcunque reſtitui poſſunt, hoc unum ineluctabile eſt. Quid quòd & tranſitus animæ gravis, & gravior

vior pugna? instant enim hostes, incumbuntque migranti. Urget aliunde conscia tot criminum mens, incertaque futuri. Citatur ad tribunal rea; nec comperendinatui <sup>a</sup> cus datur. O quale tempus, cum tempus non erit amplius!

In illo discrimine rerum atque certamine tanto quis aderit tibi? quis agget causam? à quo demum auxilia speras? audi à quo. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala.* Quæ tantæ causa fortitudinis? *quoniam tu mecum es.* Ille, ille qui via vitæ est, *viaticum* est et mortis, *navulum* transfretantis, *scutum* decertantis. *Dabis eis, inquit, scutum cordis laborem tuum.* (a) Hinc quies, hinc in morte securitas, hinc et voluptas. *Nam quod aliud votum nostrum est quàm exire de seculo, & recipi apud Dominum? Hæc voluptas, ubi & votum.* (b) *Pœna vitiorum transit in arma virtutum.* (c) Ibi non gemes; *sed universis circa plorantibus,*

(a) *Thren. 3.* (b) *Tertul.* (c) *August.*

bus, solus ipse ridebis, conscientiam utique bonam & premiis futurorum. (a) addo, & pretiis praeteritorum. Nam si tabella vetulae, à Zeuxide depictae, tantum placuit auctori, ut praevoluptate moreretur; qualis erit morientis oculis imago vitae bene actae, cujus recordatione, ut ait Tullius, nihil est jucundius? erit, erit tum enimvero, si alias unquam, *theatrum sibi vir bonus.* (b) Aderit è caelo Christus; aderit èt optima Mater, & Angeli, & Patroni. Ibi: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace!* Ibi: *Lætatus sum in his quae dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus!* Ibi: *Me expectant justi, donec retribuas mihi!* O triumphum! ô gloriam emigrantis! læta illic omnia: & memoria praeteriti, & spes futuri, & praesentis conscientiae tota ac plena securitas.

Compara, comparã non jam vitam vitae; sed mortem morti, Quales illi  
de

(a) Hieron. (b) Seneca.

de sæculo? qualis tu? qualis anima tua de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum? O si perpenderes! ô si provideres! Oro te: propone animo tantisper (erit enim aliquando) supremam illam animæ tuæ crisin; sudantes artus, luctantem æstuantemque spiritum, & jam in extremis positum, ardente candelâ. Nam in hoc summo non dico temporis, sed æternitatis cardine, cujus esse vel fuisse tum voles; mundi an Christi? mira tua prudentia, si nunc facis aut non facis, quod tunc factum infectumque dolebis. Aut fortasse speras ex malâ vitâ bonam mortem, hoc est, ex falso verum. Sophisma est. Nunquam ita concluditur in bonâ forma. Vive ut vis mori. Nam ex præmissis sequitur conclusio. Porro de æternitate agitur hoc momento. Quod inculco, quod impingo, quod infarcio usque & usque legenti; *Æternitas, inquam, ibi incipit, ubi sæculum desinit.*

§. 3.

§. 3. *Judicii favor.*

A conclavi feror ad orchestram, ad Imperatoris podium, ad totius caveæ, ut cum Patribus loquar, immensum illum supremumque confessum. Heu quæ tunc spectaculi magnitudo! Hic hic dati leonibus non jam martyres, sed tyranni: hic, hic ludi sæculares non de sæculo, sed de Deo; nec hujus vite, sed æternæ; nec in circulo temporis, sed in circo æternitatis. Tria tibi perpendenda: judex, reus, & causa. Judicis severitas tanta, ut in Angelis etiam suis reperiat pravitatem. Tu ex ungue collige leonem. dico è pœna Mosis, Da vidis, Ezechiaë, Viri Dei, Bethsamarum, ob noxas hominum iudicio levissimas; sed non Dei. *Dies*, inquit, *formabuntur, & nemo in eis.* Quid dicis nemo? imò omnes ibi stabunt. *Nemo in eis*, hoc est, nemo innocens, nemo mundus, ne infans quidem unius diei. *Quid ita? quoniam Deus judex est.* Non  
qui-



quilibet rusticus cum tridente, sed Trinitas iudex. (a) De reo autem quid dicam, qui totus à capite ad calcem ulcus sit, debitor decem millium talentorum, non respondens unum pro mille; prædo, ut jam monui, cœli & terræ; & ille nudus coram Angelis Dei. Hoc pondera, hoc expende. Postremo causa non de stillicidio, neque de umbrâ asini, sed de capite, quo? totius mundi. Cur? ob vitam, ob supplicium. Qualem? quale? æternam, æ ærnum. *Ibunt hi*, inquit, *in vitam æternam; illi verò in supplicium æternum.* Tali igitur & iudice, & reo, & causâ, miseris stupor immensus invadet, animi deliquium, æstus, & pavor. *Artescentibus*, inquit, *hominibus præ timore.* Nam si versa est uxor Loth in statuam horrore flagrantis Sodomæ, quæ stilla (b) tantum erat & sumariolum inferni, & jaculum exercitatorium; (c) quâ, putas, consternatione futuros, cum armis, ut ita dicam, agetur decretoriis? Deniq; dies illa, dies iræ. Ni-

(a) Augustinus. (b) Isa. 40. (c) Tertull.

Nihilominus in die illâ tam horrendâ stabo animi securus, habens pro iudice amicum, pro rege patrem, pro vindice agnum. *Stabunt, inquit, iusti in magnâ constantiâ.* Nec securus modo, sed etiam ego ille toties à te irrisus atque contemptus, tui tum atque mundi iudex. *Sedebitis, inquit, vos iudicantes.* Quis loquitur? Iudex iudicium, & Rex regum. Ipse, ipse promittit, & est veritas.

Ergo videre videor hominem illum in nubibus Deum, qualis est apud Joannem gemino vultu radiantem, altero *Sardium reprobis*, altero *Jaspidem electis.* (a) Audio vocem Jus geminam quoque: amicam & minacem, blandientem & fulminantem. Specto cuneos hinc inde pro utriusque sententiæ varietate variè percussos; alios de cœlo præcipites, alios in astra quasi quodam amphitheatri pegmate sublatos: utrosque vociferantes, Ubi te vidimus? ad hæc clamare iudicem, in  
*car-*

(a) *Rupertus.*

*carcere, in stabulo, in mapali.* Membra pupilli, vita popelli, causa viduæ egentis, oppressæ, foro conclamatæ, membra, vita, causa mea erat. Ille, ille Lazarus jacens ad fores & meus erat, & ego ille. Quid deinde? vos pavistis, vos operuistis, vos visitastis. *Quod uri ex minimis fecistis, mihi factum imputo.* Esto. Quid postea? Euge. Cui dicis? Tibi. *Quia in modico fuisti fidelis.* In quo modico? in micâ pauperi dan in calice aquæ frigidæ. Et pro tanto quid reddes? intra in gaudium. In quale gaudium? Domini tui. Felicitas inter nos erit communis, mea tua, tua mea. Idem gaudium. Quid? pro micâ cœlum? pro guttâ flumen? dedisti quod iussi, do quod promisi. Dedisti te mihi, do me tibi. Versura justa est. Proh Superi! quid loquimur? & hæc est fides, spes, charitas Christi? hoc tu credis? & cui tamen animum loces, alium à Christo quæris? quære, quære, dum licet, & ut libet: ego jam pridem vovi, nec perfidum dixi sacramen-

mentum. *Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores abstulit: ille habeat secum, servétque non sepulchro, sed in cœlo, ubi cor, ubi corona. Tu peccator & videbis, & dolebis. Dentibus tuis fress & tabesces, dicēsque: Hic cœne de judice stupor erit, & de judice Ego verò te inter hœdos addi Libitinæ caput, heu! nequicia incendia deprecantem usque & deo jam jure ridebo: tu pœnitentiam ages infelix malam, feram, inopportunam; ego in sanguine peccatoris lavabo manus meas. Desiderium enim in peccatorum peribit. At at confidom eliora. Ambo ridebimus, Ambo coronabimur, rapiemurque cum illo in aëra. Et erit inter nos hoc solenne celeusma, vicimus. Quale de Thebæis referunt annales reciproco sibi cantu invicem respondentibus è tumulis, hinc exultabunt Sancti in gloriâ; illinc lætabuntur in cubilibus suis. O canticum!*

§. 4. *Gloria corporis.*

Sed jam ad convivium *ire tempus* est, ad nuptias, ad triumphum, uti spero, tuum meumque. Hic mihi primum occurrit vestis illa nuptialis; dico caro nostra, prætexta tum animæ, & consularis veluti trabea, quadruplici gloriæ dote, ut docet Apostolus, instructa. In quâ non secus ac in aureo curru triumphalique quad cælo sui mundique victor animus <sup>us</sup> <sup>..1-</sup> vehitur. Tertulliano *gloria luti nostri & venustas*. Nunc enim vas est ignominia, corpus humilitatis & mortis; tunc autem erit vas in honorem, nulli vitio mendove corporis obnoxium. Hoc locus, hoc curia tanti Principis, hoc cura amorque nostri hoc ejus corpus in nostro corpore quasi quoddam gloriæ semen insitum ac implantatum, hoc postremo postulat exigatque meriti ratio atque societas. Nam quia corpus animæ collega fuit, & ut in certamine scutum; gloriæ  
opor-

oportet ut particeps sit, sicut et ignominia fuit. Dictum est enim: *Si compatimur, et conglorificabimur.* Sed hanc ego corporis gloriam atque felicitatem unde exprimam tibi?

Finge animo formam omnium, quæ extiterint unquam, absolutissimam. habeat caput Veneris Cnidia, a Roxanes, lacteam Amazonis, auream Minervæ, totumque Apelle corpus: sit, ut Virgiliæ illa, pedibus perniciosissima, æquetque Zephyros cursu: sit, ut Achilles Homeri, immortalitatis balneo tineta, & insuper oleo Phidiæ delibuta: nusquam pateat vulneri locus, ne summo quidem talo. præterea deliciis undique circumfluat, irrigeturque, ut est apud Prophetam, *torrens spinarum, & per cannes rivos fluant aquæ.* sit denique qualis illa *pandora* vatum, *idea pulchri*; aut qualis illa Græcorum pulcherrima simul & optima, *aureo donata malo.* vincit hæc omnia, immensoque præit intervallo caro nostra,  
stra,

stra, *Soror Christi*, jam reformata, &, ut Africani stylo loquar, *angelificata*; imò non Angelo tantum, sed ipsi etiam Christo par atque conformis. *Papæ!* exclamat Chrysostomus, illine qui sedet ad dexteram Patris? Illi, inquam: & addit, plus esse in uno corpore splendoris, (quod jam tetigi) quàm si tot essent in mundo soles, quot sidera cælo. Denique Apostolus ait, id nunc à nobis non posse comprehendi.

Age mecum ita ratiocinare: *Nemo carnem suam odio habuit.* Effatum est. Quò enira studia, quò vergunt omnium vota, etiam Epicureorum, nisi ut illi bene beatèque sit? Hic scopus finisque curarum. Jam compara corpus corpori. Quale nunc hoc animæ sepulchrum? (a) Quale tunc illud animæ mausolæum? surget enim in gloria, agile, subtile, spirituale, gloriosum. Quid ergo? si tuæ carnis verus est amor; unde boni tantum invides ama-

(a) *σῶμα* Platoni quasi *σῆμα*.

amatae? rursus hic ad tuam appello fidem. De resurrectione dubitas? non potes, si modo Christianus es: nam omnis fiducia Christianorum est resurrectio mortuorum. (a) *Reposita est*, inquit *bus, hæc spes mea in sinu meo.* Rata est *er*, & certa. Responde nunc: si ut *as*, tanta moliris; quid ut fem- *ut* beatè? quid ut gloriosè? *?* amas an odis? si amas; *rtalem*, cur auream, cur An- *stóque* parem, cur undique *on* vis? si odis; cur animæ *ra* & Christo, qui te & illam sic *amavit*, ut in cœlum, peccatricem li- *cet* ac planè contaminatam, ad se *transferret*? ô simia, quæ foetum oscu- *lando* præfocas! alterum è duobus o- *pta*. Ama vel odi: si amas, ama ut a- *mes*; si odis, odi ut salves,

### §. 5. *Cœlum Empyrium.*

Currum animæ vidimus igneum ac *planè triumphalem*; nunc ejusdem *tri-*

(a) *Augustinus.*



triumphantis do sedem, igneam illam quoque, & quam vocant *empyriam*, *caelum caeli*: de quo duo tibi propono, magnitudinem loci, deinde opes atque gloriam. Ac locus quidem verè immensus est, & finem non habet, ut est apud Prophetam. Audi me. Tota terra punctum est ad caelum: nam eâ vel hujus una stella sexaginta partibus major est, ut astronomis placet. Jam si terra punctum est aelum; quid erit ad caelum caeli, à quo caelum hoc quod suspicis, tantum distat, quantum ipsum à terra? & si terra tota minor est puncto; quid erit punctum puncti ad caelum caeli? Quot enim in regna, provincias, urbes, oppida, tecta dividitur indivisibile? Quota denique pars es ejus tu sub uno tuguriolo non unus, ceu miser de sub terra lumbricus; aut qualis ille Tertulliani chamæleo, *sub pampino totus*? Hic omnis avaritiæ furor, hæc negotiatio, hæc versura, quam, ô stultissime mercator, instituendam putas

H

pro-

propter pugillum hordei & fragmen panis.

(a) Perge porro. Si magnitudo tanta, quid de opibus gloriâque dicendum?

que enim inimicis plura putandum

esse in hoc carcere derelicta, quàm

is in palatio filiisque servata. So-

nodo ibi magnificus est Dominus no-

locus fluviorum, rivi latissimi & pa-

(a) Propterea dixit Apostolus

se civitatem, cujus est artifex &

tor Deus. Quid? non est hujus

nundi? non est conditor? est,

omnino. Sed hoc quasi prælu-

dium est, illud totius operis caput. De-

nique illa est seu paradisus, seu civitas

monstrata Joanni, cujus & portæ mar-

garitis, & fundamenta sapphiris, &

pavimentum auro mundissimo stratum est: quæ flumine scatens aureo,

ripis hinc inde palmâ virentibus, ha-

bet tot inter sceptrâ reges, quot intra

septâ cives, ubi nemo non amat, ne-

mo non amatur; omnes currunt, & a-

mor cursus est. (b) Hæc patria, hoc pa-

tri-

tri-

(a) Ezech. 20. (b) Isa. 33. (c) Augustin.

trimonium quod servat Pater, quod regit Agnus. Ille enim claritas ejus, & totum lumen, & totum à pede flumen. Sanguis ejus stolas dealbat, non cruentat. Illum sequuntur virgines, quocumque ierit, inter lilia rosasque pascentem; *nam floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt.* (a)

Compara nunc mundum mundo. qualis hæc Babylon, ubi flemus? qualis illa Hierusalem, *quæ ædificata civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* ô patria! ô cœli domus! & tu, o anima mea, carcerem exiliûmque præfessus esto, utcumque terram ambi præ cœlo, punctumque puncti præ immenso; etiamne præ Deo, qui terram dedit, & cœlum parat? infelix! ut ille dives, guttam ainas in inferno, cui torrens voluptatis ruit è cœlo? Eheu! quantâ jacturâ, & pro quantulo? næ si totus orbis, inquit Chryso- stomus, in lacrymas irêt; id haud unquam pro merito fieri posset. Erit,

H 2

erit

(a) *Beda.*

erit quando super flumina fleas non  
 jam Babylonis, nec in medio terræ;  
 sed in medio gehennæ inter *glareas Co-*  
*cyti*, (a) triste illud ac ferale occinens:  
*Nos insensati.* Sed absit, absit inauspi-  
 ca conjectura. Corrigo dictum. E-  
 rando inter amœna virentia  
 vestita candido & mundo,  
 inque sponsa sequens, exclames,  
 et *halelio: Gaudeamus & exul-*  
*, quia venerunt nuptiæ Agni.*

### §. 6. *Visio Dei.*

...a sunt hæc, fateor; at collata  
 non adjumenta felicitatis, non  
 ornamenta sponsæ, sed impedimenta  
 videbuntur. En spectaculum do no-  
 rum, do antiquum, do æternum:  
 ipsum nempe Deum, quo simul uno  
 possidentur universa. Est enim *sum-*  
*mmum bonum; est omne bonum; est bonum*  
*omnis boni.* Cape ista, si potes; & si  
 non potes, crede. Non enim ideo fi-  
 des credit quia capit, sed ideo capit  
 quia

(a) *Job. 31.*

quia credit. *Magnus est Deus*, inquit  
Dionysius; *sed suâ magnitudine omnem  
transilit infinitatem*: neque singulari  
ac quodam definito, ut cætera, modo  
est: *sed est simpliciter, & ut loquitur, in-  
circumscriptivè*. Nec bonum, sed be-  
tas ipsa. unde dictum est: *Sentite  
Domino in bonitate*, non in bono, *Tolle  
hoc*, addit Augustinus, *tolle illud*,  
*de ipsum bonum si potes, & si-  
um*. Audi quid nunc dicant  
tuus omnia cum possit velle  
constat hoc instanti posse  
re mundos, quot in littore  
illo uno quem habemus, infinitis  
tibus & majores, & pulchriores.  
tamen nihil posse; adhuc tantus est  
in seipso, quantus erat in tot mundi.  
Quid ita? quia se solo dives, se solo  
summus, se solo infinitus: *quod enim  
est per essentiam tale*, (verba sunt I.  
Thomæ) *non fit majus addendo illi  
quid, quod est per participationem ta-  
Ipse, ipse sufficit sibi: nec fons sitit, nec  
panis esurit, nec sol indiget luce, nec re-*

*quies ipsa lassescit; ut aureè vir aureus.*  
 (a) Præterea non est summum duntaxat bonum; sed etiam omne bonum, omnium, ut Athanasius loquitur, *essentialium*, hoc est, *naturarum supersubstantialis causa*. Undè Theologus Nazianzenus: *Tu omnia, tu nihil rerum. Quem ego te appellem; cum ineffabilis sis & omninomius?* Postremò est bonum *omnis* uni. Ex ipso, per ipsum, & in *omnibus* ant omnia. *Unumquodque*, inquit *Thomas*, *dicitur bonum bonitate dividit* *ad eum* *primo principio effectivo, exemplari, & finali totius bonitatis.* Denique *vid* *dici potest amplius?* *solâ sui visionis* *beatos facit.* *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Vide quid dicat. *Satiabor.* Alio loco dixit: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ecce *fatiantur simul & desiderant.* Quod *ut aliquâ ratione utcunque subodorere;* *constitue beatas illas in cælo mentes,* *velut in quodam æternæ vitæ theatro,* *circumfusas undique Deo,*  
sem-

(a) *Chrysologus.*

semper avidas, semperque plenas. Ibi  
relecto, ut Tertullianus loquitur, æter-  
nitatis aulao, magnum illud immen-  
sumque proscenium aperiri, emerge-  
re Deum, atque, ut ita dicam, in sce-  
nam dari, & cum illo causas  
origines, tempora, suggestus,  
uno verbo omnia; novos etiam  
inde & in singula momenta mundos  
exoriri, semperque pulchrè ex-  
ardescere interim ac suspen-  
sionem plenoque ore hiantes rapi,  
scere, incandescere, ac quoc-  
igniri Deo. Ibi mirabiles fieri a-  
sus non manuum, sed mentium  
animorum. Ibi saginari, potari, in-  
briari torrente voluptatis in pace in  
idipsum. O in pace! ô in idipsum!  
Væ, væ mihi quia pollutus labiis etiam  
cum loquor, non loquor, & quæ di-  
co, non dico! Si enim enarrari non  
potest gloria corporis; quanto minus  
animæ? *Quid mihi est in cælo, aut à te  
quid volui?* Quid est, quid? inquit Au-  
gustinus, interrogans dixit, quia re-

spondens non potuit. Et Apostolus,  
*Scio, inquit, hominem raptum hujusmodi  
 usque ad tertium cœlum. Bene habet.*

*Quotum testem habemus. Age  
 si vidisti? enarra tandem. in-*

*(a) ait, & quæ nec oculus,  
 nec cor capit.*

*flumen æternæ, quod acqui-  
 rari non potest! ubi nec*

*nec fames. Quid dicam*

*habet quid exhibeat, non*

*omodo dicant. Hæc est e-*

*, quæ est sine mensurâ.*

*invis à Deo, non est nisi De-*

*um beatitudinis æternæ, ubi*

*nquam senescit, ubi decor*

*llescit, ubi amor nunquam te-*

*sanitas nunquam marcescit,*

*nunquam decrescit, ubi vita*

*rescit! Tanquam lætantium]*

*est tanquam? quare tan-*

*uia talis erit ibi jucunditas,*

*hic non novimus. O specta-*

*on jam mundi, neque de*

*mun-*

*oniam. (b) Augustin. & Bernardus.*



mundo ; sed Dei, deque Deo ! Ut enim hic spectaculum facti sumus, sic ille nobis vicissim in cœlo. En erit unquam illa felix hora, nec jam brevis mora, quâ te fruar, Deus meus <sup>in im-</sup> mensum, in æternum, in idipsum <sup>erit</sup> sancta Sion ! <sup>O</sup> <sup>vices,</sup> <sup>sub-</sup> flumina sedimus & flevimus, <sup>sub-</sup> spe læti-  
re tristes.

*§. 7. Amor beatificans*

Est tamen, est adhuc <sup>coll</sup> quo cetera sint omnia nihil ; <sup>coll</sup> <sup>Oscu</sup> nuptiale & reciprocus amor inter bos, dico sponsum atque sponsam. Hæc est totius beatitudinis finis. Hic apex. Quippe animæ centrum Deus est, cui jam inde à primis incunabulis volens nolens usque suspirat ; in quod unum tanto ambitu, totoque pectore incumbit, tam diu dilata, toties impedita. Ergo ubi post tot exantlatos labores, totque pericula, totque mortes, invenitur quem unicè diligit ; ubi possidetur, ejus sui que secura ; nimirum

H s

ho

hoc illud est voluptatis immensæ pelagus, quod ne animo quidem ac cogitatione comprehendi potest. Adde summam infinitamque sponsi Dei pulchritudinem, quâ sic inardescit quis ac magis, ut quò plus videt, plus ardere cogatur. Non enim, ut in re creatis, suos habet illa pulchritudines, sed omnesque fines; sed incircumspectè, & perpèrque spectanti crederet, quanto quodam pondere rapit. Hinc anima tota Deo conuersa, ac velut æternis vinculis illigata, tanto feruor amoris impetu, ut præ divortii vel in momento nihil innumerabiles inferos putet. Hinc etiam ecstases, suspiria, raptus, animi deliquia, jugisque languor: & quia se scit æquè, imò infinito plus à Deo redamari; hinc æstus amoris, altero in alterum exultante & quodammodo sese reciprocante, & utroque alternis clamante: *Dilectus meus mihi, & ego illi!* Præterea quoniam ipsa novit à ceteris cœli civibus

non

non minùs quàm à se tam amabilem  
sponsum arderi; hinc fusus in omnes  
amor, hinc æternum æternæ domûs  
incendium. Ardent omnes, ardent  
ubique & semper, pro Deo, próque se  
invicem.

Propone tibi ob ocl' stadium  
quoddam imensum, in quo decurrat  
amor triumphalibus quadrigis, cui cœ-  
lestes ephebi aureis præ-  
pronubi sponsæ, tædaëque  
antistites. succedant his  
dico Apostoli, Martyres,  
suo quique ordine, omnes in auro, o-  
mnes coronâ palmis que insignes. po-  
stremo loco veniat aureo super phere-  
tro sponsa regios inter amplexus amo-  
re tabescens, universis circumquaque  
applaudentibus, & ut in nuptiis, rosâ  
coronantibus & fertis. Hæc cœli vi-  
ta, hic cursus, hic finis.

§. 8. *Æternitas nostra.*

Sed sine fine finis. Illa enim omnia  
quæ dixi, quodam æternitatis velu i  
figillo muniuntur. Quæ quidem

ternitas quinque partibus constat. Prima est, quod in eâ nihil non sit infinitum. Nam cum infinito tempore durer, totque proinde habeat, ut ostendat, incrementa vitæ, quot momenta: fit ut quicquid in eâ est, infinitum quasi reproductione crescat in æternum. Secunda est, quod tota sit & nelecta possessio. Nihil e-  
 rit; nihil succedit. *ambrosius, semper  
 no ibi expectat futu-  
 æteritum.* Denique  
 as *horrens* est, non, ut hic, gut-  
 eria est, quod nunquam inter-  
 tur. Duo enim hæc sunt simul,  
*tuitas, & Felicitas*; quorum al-  
 n sine altero nihil est. Quarta est,  
 in omnes sese tum animæ, tum  
 oris facultates effundat. Non e-  
 , ut hic, sese mutuò impediunt  
 bus pluribus intenti; sed è con-  
 io, ex animæ redundat etiam cor-  
 is beatitudo. Quinta est, quod ob-  
 ur ob oculos semper. *Evigila-  
 bunt*

bunt enim alii in vitam æternam, & alii in opprobrium; ut videant semper. (a) Quid? tò semper. Hoc ultimum summum est, & verè beatos facit.

Porro talis æternitas sic instructa, sic cogitata, tanti ponderis est, ut totum in sese animum mentemque absorbeat. Hinc illa sapientum axiomata: *Annos æternos in mente habui. Quis ad æternitatem? Tibi bene est, & finem habet. Sapienti nunquam poralia placuerunt. Æternum non malè.* Et plura consimilia.

Et revera si, ut justum est, expendis, in stuporem identidem rapiens te. Quid enim? summum bonum possidetur totâ securitate, & totum, & totum simul, non auferendum unquam, non intermittendum, non circumscribendum. Potest dicere beatus: *Mihi bene est, æternumque erit. Habeo supra vota, idque securus. Enimvero quid habes simile? quid vi-*

(a) *Daniel. 2.*

cinum? ubi sunt? non dico ubi erunt?  
 sed ubi sunt deliciae tuæ, etiam quibus  
 & quando frui te putas? nonne occi-  
 dunt antè etiam quàm sint, plenæ præ-  
 senti atque futuri, vacuæ præsentis?  
 stat. Deinde quales sunt,  
 idæ? quàmque putridæ?  
 post mortem?  
 e mortem?

*e Partis.*

nia, ut audisti,  
 , & mortem  
 juuntur ad u-  
 is tuæ gloriam, animæ  
 Sedem, quietem, beati-  
 omni ex parte tum animi  
 corporis; & hæc omnia summa,  
 eterna, qualia Deus habet, si-  
 , sine vicissitudine, sine divi-  
 totâ, ut dixi, securitate. Jam  
 te convenio, totâque conten-  
 cum pugno. Spes alit, inquis:  
*ntur inter homines omnia. (a)*  
 bet. Hic est amor tuus & tui.

Age.

*al-ian.*

Agedum. Ubi par à Deo spes? ubi  
fors? ubi patrimonium? ubi merces?  
ubi corona certantibus æqualis? in  
Olympiis, an in Isthmiis? Capitolione  
an Prytaneo? quid tibi datur? frons  
pro quâ ne capella quidem pedem moveat.

(a) O fides! & illi quidem ut corrupti-  
bilem coronam accipiant, ab omni-  
bus se abstinere

candidatus æter

Christianus, tu

t incorrupt

bilem obtineas, ut immen-

lémque dixi, imò qualem ne

dicere potui; saltem ab illic

temperabis? Invenientur apud, ac-  
nem Olympici virgines, & multi; illi

ut pugiles sint, ut athletæ? tu ut Chri-

sto mereas, ut cœlo, ut tantæ felicita-

ti; castitatem, quam sacramento aut

religione vovisti, aut aliàs debes ex

decalogo, non integram servabis?

at conclude ut voles: ego verò con-

cludam vel te plane atheum, vel te, si

ista credis, ut credis, planè Dei.

*Concl*

(a) *Dio Chrysof.*

*Conclusio secundæ partis.*

**S**ed jam receptui canendum.

Exegi monumentum, uti cum gratiâ Dei spero, *ære perennius*. Sculpsi, inquam, in tabulis carnalibus aureum *inco* caractere *amorem*. Traxi te in *Adæ* tribus; & scis funiculi rumpi. Nam *undo* ferviant, *uavitas* amici in *na* est, ut vidisti; honestas *Domino* immensa; officio- *etque* utilitas in *Patre* infi-

ut aliquando cum Augusti-  
rem; rogo te, si aliqua *statera*  
*invenitur* in *arcâ cordis* tui, ap-  
uid appendes? Deum, mun-  
m, quo pulchrius, nobilius,  
sapientius, æquius, amanti-  
abiliusque tibi nihil: mun-  
no nihil ex adverso *foedius*, vi-  
*formius*, stultius, ingratus,  
odio



odiosiusque tibi & tui. Appende Deum cum omnibus donis quæ recensui; mundum cum omnibus dolis quos omisi: te ab illo factum & refectum quot & quantis modis, quàm miris, quàm veris, audisti: te ab hoc perditum & quoties? appende bona & mala ab utroque, præterita, præsentia, venientia: vitam, mortem, iudicium, coronam, gehennam, tatem, utramque cœli & inferi. Appende te cum Deo Deum; cum dæmone pejorem; te cum vitam habere bonam & beatam, hîc & illic, quæ in singula momenta crescat æterno gloriæ pondere. Mortem, quâ nihil sit optandum magis. Iudicium, in quo non iudicandus, sed totâ spectante corona hominum atque Angelorum, hominum atque Angelorum iudex es futurus. Coronam, non apii vel lauri, sed *immarcescibilem*; te cum mundo pugnantiâ habere omnia. *Quorum, inquit Bernardus, natiuitas mala, vita peior, mors pessima.*

## §. I. PERORATIO.

*Pars prima, pro animâ pœnitente.*

Quæ cum appenderis omnia, rogaturus sum cum Augustino: anne mihi videatur mendicare cum

quàm regnare cum Christo? ponam. Dicam aliter, melius tibi *men- quàm regnare cum est mendicare cum est manducare cum est, ô Domine, fle- gaudere de te? (a)*

*Si opprobrium tuum quid erit gloria tua?*

cum ita sint, quid esse causæ, cur tantum boni, tantum spei, tantum fidei non ametur à subditis, à pœnitentibus, à filiis DEI? in tantum, ut, quemadmodum ante nos insinuavit Iulianus, haud aliud invenias discrimen inter fidelem & infidelé, quàm ex præpostereâ ratione blas-

*bert. & Aug.*

blasphemandi. Sonat enim per com-  
pita domosque Christianorum nomen  
ubique Dei; sed quo scandalo? Quid  
dico scandalo? Laus quaeritur ubi poena  
metueda; sic, ut virtuti vitium, vitióq;  
virtus novo more vercatur. *C*rem in-

fandam! Et hæc est retrib

pro tot ac tantis in illo, e

lo donis? Me miserum! (

*natus sum videre contritionem*

*Ecce sancta nostra, & pui'*

*& claritas nostra desolata e*

*naverunt eam non gentes*

Nam cæteros ignaros *DEI*, sui-

que pessum ire non miror; sed te,

o fili post tot à Deo commoda, quæ

non nescis; post tot à te, & à mundo

incommoda, quæ scis, & quæ nescis;

adhuc inter ganeas diu noctúque ver-

sari; proh scelus! & unde furoris tan-

tum in te sacrilegiique tantum? ubi

es? unde? quò? appende, appende

appende, in quam, o dilecte visceri

meorum, quondam corona mea, nun'

dolor, nunc pudor. Quid enim? u

(a) 1 Machab, 2.

11

tur Apostolus, si quis scandalizatur;  
 ego te videns, non ( ut ajebat Pau-  
 ) ex apro agnum, ex leone vitu-  
 dè contrario ex agno lupum,  
 non urar de te, quem in  
 genui, quem in mundo  
 heu, heu, heu! fili mi,  
 pud te modò, & muta-  
 ! *noniam confundor in te*  
 enim magistri redargu-  
 li. Ergo, per visce-  
 nostri, in quibus nos  
 , oro, atque ite-  
 tor, resipisce tan-  
 tequam moriar:  
 moriâre; aut si mor-  
 ac, ut reviviscas: da deniq;  
 nec tibi; sed Deo, sed Do-  
 Patri tuo. Hic hîc quicquid  
 atrisque simul in unum recol-  
 prodigi personam, lacrymas,  
 iterum refer odio tui, amore  
*Sanguinem dedit, sanguinem de-*  
 & si sanguinem, quantò ma-  
 as?

*Pars*

*Pars secunda, pro animâ justâ &  
innocente.*

Neque sic tamen existimes, quòd id  
ego tantum à poenitente requiam.  
Nam etsi innocentissimus adires;  
haud propterea deberes minus: cum  
multò majus beneficium sit à lapsi  
servari immunem, quàm ab eodem  
ubi cecideris, exsolvi. Res mira:  
plus debet, qui debuit; innocens, fateor,  
gratiæque majoris. Illi  
debet, iste debet quicquid  
debito ex indebito planè in natura. Ita-  
que duo debitores: alteri denariorum u-  
trique fit grande donativum, alteri de-  
nariarum quinquaginta, alteri quin-  
gentorum. Quæritur, uter amori plus  
debeat amoris? respondebis cum Si-  
mone: Arbitror cui donatum ampli-  
us; & ego cum Christo: *Rectè judicasti.*  
Sed audi quid adjiciam. Si interroge-  
tur ambo, ut Petrus olim: *Amas*  
illo vociferante, *Amo*; nōne  
multò magis exclamare ope-  
*Domine, tu scis, quia amo te!*

Ergo, anima sancta, anima fidelis, &  
 innocens, ac per hoc verè  
 christi, ecce amici auscultant:  
 sonet in auribus nostris.

Maria: *Serò amavi!* Il-

la: *serò via semper ge-*

*lola: tu sis ut columba,*

*semper amans, sem-*

*per amans, sem-*

*per amans. Illa præteriti*

*à mundo: tu so-*

*na Christo. Cla-*

*perunt. Tu: O-*

*etera servavi tibi,*

*llectum, volunta-*

*s, actus, actuüm-*

*m & vota; quod*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

*utrumq; redono.*

utrumq; redono. non dico linguæ  
 sed etsi tota cor essem,  
 que mecum omnia; æquarem  
 amando sponsa sponsum, in-  
 partibus victa. Sed hæc  
 me victoria placet. Dex-  
 go victricem osculor. Epini-  
 è tanto victrix, è quanto vi-  
 eta;

cta; & ideo semper victima. Unum  
est, unum, o sponse, quod ante postq;  
omnia supplex adoro: non regnum,  
non supplicium; neque hoc precor  
neque illud deprecor. Rogasti utri  
amarem? & respondi cum

quo: Tu scis quia amo te. ecce

bio, ut diligam Dominum

ex toto corde meo, tota

ex omnibus viribus

te mea, in aeter

præceptum tuum.

& summa votorum e

stianæ SAPIENTIA

§. 2. FFI

AMA & fac qu.

Lex, modus, æterni finis

AMOR.

*Amanti nihil grave.*

Omnia fert qui amat: qui non amat,  
omnia plangit.

*Iugum meum suave, & onus meum  
leve.*

Pondus amor; sed amor pondus  
fertur in astra.

192 Pars posterior de Amore Dei.

Piger est, qui nihil amat; stultus, qui

Deum aliquid amat, quod pro-

non amat.

vitæ; scit vivere, qui

mare.

Dominum JESUM

na: qui amat sit

grandia,

te nisi stal-

et finis vitæ

1072.

ivit: hic facit esse

M.





, qui  
pro-

qui

LI M  
t sit


dia,

kal-

ta-

esse 9






Jg 5790


**ULB Halle**  
005 725 941

3



VD77





Farbkarte #13

B.I.G.



SALUTIS  
*Fundata in*  
**MORE**  
*ET*  
**MORE**  
**OMINI:**  
 ens artem benè,  
 ue vivendi, paucis  
 eptis circumscriptam  
*Dicata pro strenua*  
**Sodalibus sub**  
**B. MARLÆ Vir-**  
**Coelum Assumptæ,**  
 r Academicis Facultatibus  
 & Academico Societatis  
 regio Viennæ Austriæ jam  
 & nunc Congregatis  
*mo M. DC. LXXV.*  
 à malo, & fac bonum,  
*Pf. 36. v. 27.*  
 ypis Joannis Jacobi Kurner.  
 1893/54 J. 1046

